



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CLXXVI. An creatura assumi possit vt instrumentum ad creandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Intellectio illa, & volitio angeli, qua crearet creaturam, versaretur circa ipsam creaturam tanquam circa obiectum: non naturaliter, sed libere: nulla enim esset causa, cur diceremus, circa creaturas versari Angelum necessario, & per suam substantiam: ergo ab ea operatione posset cessare: esset ergo accidens ipsius, sicut est in nobis quævis intellectio, & volitio.

Quod si nulla creatura posset creare aliquam substantiam, quæ suapte natura per se est: neque formam accidentariam creare posset: eo quod, ut talis forma creetur, necesse sit esse per se: quod illi est præter naturam. Si autem nulla creatura creare posset rem secundum naturam: multo minus creationem præter naturam rei creatæ, ei debemus tribuere.

Denique cum nulla creata intellectio, & volitio videatur possibilis, quæ sit alterius naturæ ab ijs, quæ de facto sunt in Angelis; & hæc non sint principia creandi; frustra suspicabimur posse aliquam creaturæ Deo, quæ talem habeat virtutem.

DISPVT. CLXXVI.

An creatura assumi possit à Deo vt instrumentum ad creandum.

Possit creaturam assumi vt instrumentum creationis, senserunt nonnulli cum Magistro, c. 1.

Opposita sententia verior est, varie tamen probari solet. c. 2.

Præcedens opinio optimè ratione monstratur, nulla posita in instrumento innata virtute. c. 3.

Eadem opinio contra potentiam, quam vocant obedientialem, confirmatur. c. 4.

Quomodo cetera instrumenta habeant præuiam operationem, vel aliquid propriæ virtutis productum in effectum. c. 5.

Solutio argumentorum prioris opinionis. c. 6.

CAPVT I.

Possit creaturam assumi vt instrumentum creationis, senserunt nonnulli cum Magistro.

Multo magis inter Scholasticos controuersum est, an Deus vt possit creatura, vt instrumento ad creandum: appellamus autem instrumentum, non quod propria virtute, sed virtute mendicata ab alio operatur. In qua questione videtur Magister in 4. d. 5. cap. vi. asserere, id optime fieri posse. Cuius sententiam secutus fuit S. Thom. in 4. d. 5. q. 1. art. 3. quæstioncula 3. ad 4. & in 2. d. 1. q. 1. art. 3. & non pauci recentiores hac nostra ætate in Scholis defendunt. Probari autem potest primo quia maior virtus necessaria est ad faciendam incarnationem, quam ad creandum: sed ad incarnationem assumi potest aliquod instrumentum: ergo ad creationem etiam. Secundo, Sacerdos per verba consecrationis attingit efficienter transubstantiationem panis in corpus Christi: ergo sufficienter attingit totam substantiam corporis Christi, ac si eam crearet: cur ergo ad eius creationem non poterit concurrere? Tertio ignis inferni producit qualitatem in spiritus, vt instrumentum diuinæ potentie: ergo posset etiam esse instrumentum creationis. Vltimo confirmari potest, quia nulla videtur ratio, quæ ad manifestam contradictionem deducat afferentes hanc sententiam: frustra ergo dicemus, ita repugnare diuinæ virtuti & omnipotentie, vt à Deo fieri nequeat.

Vasquez in 1. p. tom. 2.

CAPVT II.

Opposita sententia verior est, varie tamen probari solet.

Probabilior, & magis communis est opposita opinio, quæ affirmat, nullam creaturam assumi posse à Deo vt instrumentum creationis. Hanc sententiam secuti sunt S. Thom. Caiet. & recentiores Thomistæ in hoc art. & 2. contra gent. c. 21. & Caietan. Ferrar. ibidem, Albertus in 2. d. 1. art. 7. Scotus in 4. d. 1. q. 1. & 2. Ideo dici potest, non longe à fin. Richard. in 4. d. 5. q. 1. & 2. Hæc eadem d. q. 2. multæ tamen rationes in confirmationem huius sententiæ afferri solent, quæ mea quidē sententia parum habent momenti. Referemus igitur aliquas earum in hoc capite, vt sequenti eam, quæ nobis probatur, afferamus.

Prima ratio sit Ricardi in hunc modum. Creatio postulat virtutem infinitā: ergo ad illā nequit vlla creatura cooperari. Verum hæc ratio aut probat non posse assumi à Deo instrumenta ad productionem gratiæ, aut nihil probat in proposito: non quia productio gratiæ sit creatio, vt ibidem falso putat Ricard. sed quia cum solius Dei sit, gratiam infundere, & peccata remittere, hic effectus natura sua non minus postulat virtutē infinitam, quā creatio: quod quamuis verum sit, ratio tamen proposita neutrum demonstrat. Nam effectum esse talis naturæ, vt in causa principali postulet virtutem infinitam, non satis videtur, vt etiam in instrumento eandem postulet. Siquidem instrumentum non sua virtute, sed virtute agentis principalis, & (vt aiunt) eleuatum ab eo operatur. Supererat igitur probandum, non posse creaturam eleuari virtute Dei, nec creaturam ita Deo obedire, vt ad creationem cum illo operetur.

Secundo ratio S. Th. in hoc art. est huiusmodi. Omne instrumentum, vt operetur cum causa principali ad effectum debet ex se præuiam aliquam operationem habere. Hæc propositio inductione constat in terra, & alijs instrumentis artis, & in calore naturali animalis ad gignendas carnes, & calore ignis ad producendum alium ignem: sed nulla creatura potest habere præuiam operationem ad creandum aliquid; quia cum nihil præcedat rei, quæ creatur, nullum est subiectum circa quod instrumentum præuiam suam operationem operetur: ergo ad creationem concurrere nequit.

Ceterum hæc ratio Doctoris sancti, & in eius doctrina, & absolute difficultate non caret. Primum quidem in doctrina ipsius. Nam negari nō potest, intellectum ad videndum sine habitu luminis gloriæ cum solo auxilio comparari cum Deo, sicut instrumentum cum causa principali, & tamen non habet præuiam operationem. Deinde ipse quoque affirmat, phantasma esse instrumentum intellectus agentis ad imprimendam speciem intellectui possibili, & tamen nullam habet præuiam operationem in ipsum, sed agendum videamus. quam præuiam operationem S. Thom. tribuit omnibus instrumentis, vt inde conijcere liceat an ea sit necessaria. Primum quidem ipse asserit iuxta multorum sententiam, sacramenta esse instrumenta physica gratiæ 3. part. q. 62. art. 1. & tamen nullam aliam præuiam operationem illis tribuit, quam naturalem, aquæ sc. baptisimi ablucere, verbis etiam sonare, & sic de alijs. At hæc operationes nullius certe virtutis & momenti sunt ad producendam gratiam; atque infinita virtus Dei non

li
mius

minus assumere aquam immotam, vt instrumentum gratiæ, quam aquam motu suo abluentem: cum motus ille, & ablutio nullam ex se virtutem habeat præuiam ad talem effectum. Idem docet 3. p. q. 13. artic. 2. de potentia patrandi miracula in Christo: huius autem præuia operatio, qualis erat aut locutio, aut tactus, nihil conferebat ex se ad effectum & miraculum: frustra ergo illum exposcit S. Thom. vt aliquid necessarium ad rationem instrumenti. De alijs vero naturalibus instrumentis est distincta ratio: nam præuia operatio, quam habent natura sua, cōducit vt dispositio ad effectum principalis causæ, vt patet in instrumentis artium, quocumq; modo illa concurrere & operari dicantur (in hoc enim non immoror) in calore naturali ad gignendas carnes, & in calore ignis ad producendum ignem.

Quare Andreas de Vega lib. 7. sup. Concilium c. 13. docet necessariam non esse præuiam operationem in instrumento, vt assumatur: intelligit libere: in quam sententiam adducit Scotum, cuius mentem non satis videri intellexisse. Ille namque in 4. dist. 1. quæst. 5. s. ad primum ergo quæst. circa medium, & dist. 6. quæst. 5. s. Circa tertium principale, versiculo ad primum dico solum affirmat, aliqua dici instrumenta, quæ non agunt; & huiusmodi putat esse omnia instrumenta artis, quia ex se nullam habent efficacitatem quod ipse ibidem fufius probat. At de instrumentis, quæ ipse vocat actiua, necessarium putauit, habere præuiam operationem ad effectum principalem, vt instrumenta dicantur: quinimo non ideo dici instrumenta, quia eleuentur ad effectum principalem, vt calor ignis ad ignem, calor animalis ad carnes, sed putat ea sola ratione dici instrumenta, quia sua virtute aliquid operentur præuium, quo posito sequitur effectus sine ipsorum concursu. Quare in 4. d. 1. q. 1. s. ideo dici potest, circa finem, ideo censet nullam creaturam assumi vt instrumentum, quia non habet virtutem efficiendi aliquid præuium, quæ ratio, meo iudicio, efficax est, vt seq. cap. videbimus.

Ceterum si velimus S. Thom. ita interpretari, vt non loquatur de instrumento physice operante ad effectum, sed de instrumento tantum operante moraliter: ratio illius difficilis non erit. Dicendum igitur est Doctorem sanctum hic non querere, an possit esse instrumentum physice concurrere ad creationem; quod hoc nulla ratione posset defendi, vt inferius videbimus: sed an possit esse instrumentum morale: & iteq; respondisse, non posse assumi aliquid vt instrumentum: intelligi autem morale, quia nihil est, quod habeat aliquam præuiam operationem circa rem creandam, vel circa aliquid illius. Neq; enim morale instrumentum Dei dicitur id, quod solum impetrat aliquid à Deo: sed id quod impetrat faciendo aliquid circa rem, in qua effectus à Deo deriuatur: vt cum quis tangit ægrotum, & tactu suo impetrat à Deo sanitatem, &c. Cum enim id, quod impetrat à Deo aliquid, eatenus dicatur instrumentum, quatenus assumitur instrumento naturali separato, seu instrumento artis, quod ex se habet præuiam aliquam operationem circa subiectum: id eo non quæuis causa moralis, quæ impetrat aliquid à Deo, dicitur instrumentum Dei: sed tantum illa, quæ aliquid prius faciendo circa idem subiectum, impetrat à Deo effectum principalem

circa idem, vt in exemplo posito & in futuramentis. Et quia nulla causa creata operari potest aliquid illius: ideo non potest illa causa creata dici instrumentum tam etiam morale creationis: quoniam possit esse aliqua causa impetratoria. Quocirca cum Christi humanitas, & sancti viri prius facerent aliquid circa rem, & factu suo impetrarent à Deo miraculum circa eandem, recte dicebantur instrumenta Dei, etiam si solum essent mortales, & impetratoria. Neque enim video, necessarium esse asserere, fuisse physica instrumenta, vt eodem ostendimus.

Cum vero in ea q. 13. art. 2. docet S. Thom. non posse animam Christi assumi, vt instrumentum à Deo ad annihilandum, etiam de morali instrumento intelligendum est. Nam licet possit esse causa impetratoria annihilationis: ea tamen non potest dici instrumentum Dei, etiam morale. Quoniam annihilatio solum consistit, vt ait ibidem S. Doctor, in eo, vt Deus denegat influxum, quo rem conseruabat. Ad hoc autem nihil videtur præuia aliqua operatio concurrere per modum instrumenti, licet possit id à Deo impetrare: quoniam cum hoc non sit efficere aliquid in re ipsa, sed Deum negare ei conseruationem: quicquid sit in re antequam annihiletur, non se habet inde præuia operatio nis ad negandum conseruationem. Nam vt esset instar instrumenti, potius hæc præuia operatio deberet esse in ipso, qui negat conseruationem. Quare non dicimus, villo modo Deum vt instrumentum ad negandum conseruationem rei, sicut dicimus, vt instrumentum aliquomodo facere morali, ad efficiendum aliquid: etiam si possit esse causa impetratoria annihilationis.

Tertia ratio, quæ afferri solet, est huiusmodi. Creatio est productio entis, in quantum ens, puta, finitum & limitatum natura sua: sed quod producit ens, in quantum ens est, potest producere omne ens: ergo potest producere seipsum: sicut ens finitum, & limitatum: atqui tale est esse instrumentum creatum: ergo si illud assumatur ad creandum aliquid, seruire etiam posset ad creandum seipsum, quod est absurdum.

Verum hæc ratio minus probat. Sicut enim in superiori disp. c. 1. dicebamus, vt aliqua creatura haberet potentiam creandi, non opus esset veritati posse circa omne ens vniuersale: sed sufficeret, in aliqua re particulari producere totam entitatem illius, materiam scilicet & formam: ex quo non requeretur, posse creare se ipsam: id quod minus sequitur in instrumento. Cum enim non operaretur natura virtute, sed voluntate solum Dei assumptis, ex eo, quod totam entitatem totius entis produceret, non sequeretur, posse se ipsum efficere, etiam vt instrumentum.

CAPIT. III.

Præcedens opinio optimè ratione non probatur,
nulla posita in instrumento innata
virtute.

Mihi vero vnica videtur esse ratio, quæ non solum in præfenti difficultate, sed etiam in vniuersum conuincit, nullam rem assumi posse ad creandum aliquid, vt instrumentum physice, Deo pro voluntate, vt instrumentum morale, ad quemcunque effectum: sed debere instrumentum esse talis nature, & virtutis, vt habeat circa præuiam operationem, non quamcumque, sed

suapte natura requisitum ad effectum, vel saltem debere naturae virtute aliquid efficere in illo: hoc est effectum secundum aliquam rationem debere instrumento respondere, ut propriae causae naturae virtute operanti. Quia ratione usus videtur Scotus in 4. d. 1. q. 1. §. illo. *ideo dicitur potest circa finem*, qui postulat in vniuersum praeuiam operationem in instrumento. Differt autem à Thomistis, quoniam Scotus postulat operationem praeuiam naturaliter requisitam ad effectum: Thomistae autem existimant, sufficere quamlibet praeuiam operationem, etiam si ex se nihil ad effectum conducatur, ut supra vidimus: quam quidem diximus superiori cap. non esse necessariam: sed si eum illa posset res aliqua, ut instrumentum, libere assumi, eodem modo etiam posset assumi immota, & sine illa praeuiam operatione. Ex quo sane principio factum est, ut Scotus & aliqui Thomistae de sacramentis diuerso modo sentirent. Nam Thomistae 3. p. q. 62. art. 1. docent, sacramenta esse instrumenta physica: quia habent praeuiam operationem, etiam si ex se non aptam, nec requisitam ad talem effectum: At Scotus locis citatis dixit, non esse physica instrumenta: quia non habent praeuiam operationem. Nostra igitur ratio talis est.

Cum res aliqua assumitur ut instrumentum ad aliquem effectum, non tantum est ordo efficientis, & effecti inter effectum ipsum & causam principalem: sed etiam inter effectum, & instrumentum ipsum: quia effectus non tantum exit à causa, sed etiam recipit à causa per instrumentum: & instrumentum res ipsa agit id, quod antea non agebat. Quare ut res, quae à Deo fit medio instrumento, referatur, etiam ut effectus, ad ipsum instrumentum: necesse est, aut suapte natura ad illud referri, aut facta aliqua mutatione: neutro autem modo fieri potest: ergo neque villo modo potest referri. Quod ut clarius demonstremus, ponamus rem aliquam proxime creati seu producti à Deo, & continuata eadem actione conseruari: deinde post paululum assumere Deum ex duobus a quibus vnam, ut instrumentum ad conseruandum rem illam, vel continuata creatione, ut si esset creatura, quae secundum se totam conseruaret: vel continuata productione in subiecto, ut si esset gratia: tunc inquit, an res illa effectus incipiat referri ad illud instrumentum, & instrumentum ad illam? Certe negare nemo potest: ea mutuo referri. Notissima enim omnium relatio realis est producentis actu ad rem productam: atqui non referuntur mutuo suapte natura: sic enim sequeretur esse naturam virtutem in instrumento ad producendum; cum effectus sua natura ad illud referatur, ut pendens ab eo, & instrumentum ab intrinseco quoque referatur ut producat, quod tamen est absurdum, siquidem id non habent ex se, sed ex voluntate Dei. Accedit, quod si ab intrinseco & sua natura referretur, sicut duo alba: non potius referretur res illa conseruata ad vnam aquam, quam Deus voluit assumere ut instrumentum, quam ad aliam: cum duae illae aquae sint eiusdem naturae. Oportet igitur referri mutatione aliqua accidentaria facta in vna aqua: nulla autem mutatio esse potest: nam vel ea est in instrumento praeuiam ad agendum, vel est in effectum: non in instrumento. Sine enim dicatur in illo esse qualitas aliqua permanens, siue transiens & per modum motus impressa à Deo, ut nonnulli comminiscuntur: quomodo cumque

Vasquez in 1. p. 101. 2.

illa sit, vel est virtus propria ad producendum talem effectum, & sic iam non constituit instrumentum, sed causam propriam & principalem illius: sic autem nulla potest imprimi ad creandum, ut superiori disputatione probatum manet, & aduersarij fatentur. Vel virtus illa est multo inferioris naturae, quam ut ex se effectum producere valeat: & ita cum indigeat noua eleuatione, ex se ipsa non poterit talem effectum producere: ac proinde nec ex se ipsa ad talem effectum referri poterit: ergo mutatio illa non erit sufficiens, ut instrumentum ad effectum referatur. Quo etiam argumento probatur, superflue poni hanc qualitatem derivatam à causa efficiendi in instrumentum, ut eleuetur ad effectum supra suam propriam & naturam virtutem: siquidem supra hanc qualitatem requiritur alia noua eleuatio, ut probatum est. Vel tota mutatio fit in re producta: & hac etiam ratione non potest esse mutua relatio. Tum quia non videtur, quare mutatio fiat in eadem substantia, quam Deus solus conseruabat: cum postea medio instrumento nullam omnino habente virtutem, nec ex se aliquid influente, eam conseruet. Cum enim ea semel res conseruatur successiue à diuersis causis, ut idem lumen à diuersis luminosis; non mirum, si ex modo productionis illius, fiat in ipso lumine producto aliqua mutatio.

Dicere quis posset: non videri necessariam talem mutationem in effectum, nec in modo producendi: sed à diuersis luminosis idem, lumen successiue procedere posse, & eodem modo, referri autem lumen ad diuersum luminosum, quod lucet, non quia sit mutatio ex parte sui, sed quia suapte natura ad luminosum referatur, à quo in tali distantia aptum est conseruari & produci: at ita reproducta medio instrumento, quod ex se nihil confert, commentitium videri, variationem aliquam ponere: cum tota virtus producendi sit agentis principalis, quod idem manet: & instrumentum ex se nihil conferat, nec mendicantia habeat in se qualitatem, aut formam ad producendum: quare ex eo, quod Deus variis vteretur instrumentis per solam assistentiam (ut dicunt) nihil illis imprimens, ut eis vteretur, eodem modo rem ipsam productum iri & influxum principalem eodem modo mansurum, atque adeo in reproducta nullam futuram mutationem, cum instrumentum nec ex se aliquid influeret ratione virtutis propriae: & ratione virtutis principalis nihil reciperet praeter assistentiam illius, quae eadem omnino esset cum diuersis instrumentis. Hoc tamen difficultate non caret, quoniam non videtur in lumine producto eadem omnino relatio, quam vocant dependentiam, ad vnum luminosum, & ad aliud: quia illuminatio non est idem realiter cum ipso lumine producto: potest enim Deus praesente vno luminoso efficere, ut lumen productum non pendet ab eo, si non licet concurrere cum eo ad illuminandum, sed ipse velit solus lumen producere. Hoc autem non videretur posse fieri, si illuminatio esset actio omnino ex natura rei eadem cum lumine producto, & lumen productum per essentiam suam ab ipso alio distincto referretur ad luminosum relatione, quam vocant dependentiam.

Sed agentum concedamus tot mutationes sine fundam. ex cogitatis in reproducta à Deo ratione diuersorum instrumentorum: tamen adhuc haec

li. 2.

sufficere

sufficere nequeunt ad mutuā relationem effectus & instrumenti, nam si hic effectus taliter productus referatur suapte natura relatione producti ad instrumentum: signum est, instrumentum esse talis naturæ, quæ ex se producat talem effectum. Effectus enim non referetur natura sua, nisi ad id, in quo est virtus faciendi, non voluntate alterius, sed naturaliter, siquidem naturaliter referatur: ergo cum in instrumento non sit aliqua virtus, fit, ut res producta ad illud non referatur.

Dicit aliquis, effectus non secundum suā substantiam referatur ad instrumentum, sed secundum modum, quem habet producti medio tali instrumento. At hoc est manifeste falsum. Nam instrumentum non producit modum in effectu, ad quem assumitur: quod si aliquis est modus in illo, est productio ipsa, quæ pender effectus ab instrumento, sed ipsa substantia effectus habet ratione producti, & est quæ referatur: tunc autem ratio prædicta locum habet. Nam si hic effectus suapte natura referatur ad hoc instrumentum: sequitur, in instrumento esse virtutem naturā ad productionem illius, quod est absurdum.

Respondet deinde aliquis, effectum non referri ad rem; quæ est instrumentum, nude sumptam, sed ad eam, ut esset eleuata ab gente: quæ sane eleuatio nihil aliud est, quam ordinatam esse ad talem effectum, & ad illum habere paratum talem concursum Dei. Verum quis non videat, hæc tantum esse verba? Nam Deum esse paratum concurrere cum instrumento, supponit instrumenti etiam cooperationem futuram: nunc autem querimus, vnde nam sit futura hæc instrumenti operatio? Primum quidem non ex eo, quod Deus sit cooperaturus: vtriusque enim concursus supponit principium in vtroque. Deinde eleuatum esse ex sola Dei ordinatione, quis non dicat, esse tantum respectum rationis in instrumento, si nihil in se instrumentum recipiat? Quæ igitur in illo variatio est, ut assumatur, & concurrat ad effectum, quando ex eo, quod suapte natura habet, non poterat concurrere?

Hæc vñica ratio probat, nullum instrumentum, quod suapte natura requisitum non sit ad aliquem effectum, habens aliquam præuiam operationem ad illum, vel ad aliquid productum in ipso, assumi posse indiscriminatim à Deo: ut instrumentum efficiens ad effectum quemcunque. Ex quo principio in 3. p. q. 13. & 62. dicemus, nec potentiam humanitatis Christi ad patranda miracula, nec sacramenta ad faciendam gratiam, physice concurrere, sed esse solum instrumenta moralia per modum impetrationis, ut ibidem explicabitur. Quod si instrumentum indiscriminatim assumi posset à Deo ad varios effectus; non dubitarem, eodem modo posse assumi ad creandum: non enim inuenio peculiarem aliquam rationem quæ probet, ad creandum assumi non posse. Quomodo autem necessaria sit in instrumento aliqua præui operatio ex nativa virtute aut aliquid efficere debeat in ipso effectu, cuius sit propria causa, cap. 5. dicemus.

Præterea iuxta sententiā, quam sequuti sumus disp. 174. nempe creationē non distingui à re creata, nisi sola ratione, necessario sequitur, non posse assumi aliquod instrumentum ad creandum. Nam si assumeretur, variaretur creatio, ut patet ex dictis, ac proinde distingueretur à re creata.

Sunt quoque peculiare rationes, quæ probant potentiam animæ Christi ad miracula, & efficacitatem sacramentorum non esse physicam: multaq; alia suis locis dicenda sunt contra varios modos philosophandi Theologorum. Nunc autem nostro instituto ea, quæ diximus, sufficiant. Illi autem obseruandum est, multo magis repugnare, assumi aliquid, ut instrumentum ad cooperandum seipsum. Nam cum id, quod est instrumentum, prius debeat esse, quam operari, quod se ipsum conservat in hoc instanti, prius debeat esse, quam se conservare. Quod si est prius natura non potest esse effectus sui ipsius. Quocirca falluntur, qui, ut defendant transubstantiationem in Eucharistia, dicunt Christi corpus conservari per verba consecrationis: & cum verba habeant efficaciam ex ipsa humanitate Christi, ipsam quoque ad sui ipsius conservationem assumi. Sed ea quoque ratione horum doctorum sententia merito constari debet, quod cum ad saluandam veram rationem transubstantiationis, nihil referat, humanitatem Christi physice produci, aut conservari secundum substantiam per verba consecrationis, aut à seipso, sed multo faciliori ratione explicari possit mysterium nostræ fidei, ut c. 5. obiter dicamus; tam difficili ratione, quæ in recta philosophia intricabilis apparet, eam defendere voluerint.

CAPVT IV.

Eadem opinio contra potentiam, quam vocant obedientialem, confirmatur.

Ad nostra usque tempora vno ex modis prædictis c. præcedenti defendi solebat, posse assumi quamcunque creaturam ad quemlibet effectum producendum, sicut sacramenta ad producendam gratiam, aut qualitate aliqua in ipsam creaturam derivata per modum permanentis, vel per modum transeuntis; aut sola Dei assistentia sine via posita mutatione creaturæ; & contra vtrumque modum superiori c. pugnavimus. Iam vero pauci abhinc annis recentiores nonnulli docent, posse assumi à Deo quamlibet creaturam ut instrumentum ad quemlibet effectum etiam creationis, ratione eadem potentia, quam vocant obedientialem: hanc vero potentiam dicunt esse non completam, sed inchoatam quandam virtutem ad producendum quemcunque effectum, non distinctam ab essentia rei, ut talis substantia, aut natura est. Et usque adeo hanc inchoatam virtutem rebus omnibus nonnulli tribuunt, ut relationibus etiam eam tribuere non dubitent. Porro affirmant, quamcunque rem assumptam ut instrumentum, ab intrinseco operari effectum, & ex suo aliquo ad ipsum conferre, non virtute mendicata, aut derivata à principali causa, nempe à Deo: sed virtute nativa, quatenus talis natura creata est. Vocant autem virtutem inchoatam, quia nullus concursus naturalis Dei debetur ei, ut agat, sed supernaturali concursu, & alioris ordinis completum, ut producat effectum sibi (ut vocant) non proportionatum.

Hanc vero opinionē ea præsertim rationes doctores illius excogitarunt, quod ipsis necesse videretur, sacramentis non legis virtutem operamentariam concedere, quæ physice gratiam operaretur: virtus autem physice instrumentaria alio meliori modo, quā prædicto defendi non posset. Nā quod ex Thomistis nonnulli asserunt, derivari à Deo

à Deo in instrumenta physica qualitatem aliquam, aut permanentem, aut transiuntem, qua eleuentur: aut in instrumenta per solam Dei adfistentiam absque illa in ipsis mutatione eleuari, visum est his doctoribus, & merito, non habere firmum in philosophia fundamentum, & nos superiori c. quantum satis est, confutauimus. Restat igitur, ut dicamus, instrumentis esse naturam quandam virtutem inchoatam, ut superius explicata est. Cumque non videatur aliqua manifesta repugnantia, imo videamus, in alijs rebus esse virtutem hanc, quam vocant obedientialem in subiecto, ut recipiat formam supernaturalem: informam, ut informet duas materias simul: in corpore quanto, ut sit in duobus locis simul: non est, cur negemus eandem virtutem ad faciendam miracula, ad producendam gratiam, & alia, quae à solo Deo fieri possunt.

Haec sententia meo iudicio, nec in Theologia, nec philosophia firmum habet fundamentum: primum quidem non in Theologia: quoniam ad nullum mysterium fidei nostrae videtur necessarius concursus physicus instrumenti: ac proinde si salua & integra reuerentia debita mysterijs, sine hac aut alia instrumentaria virtute physica theologizare possumus: non est, cur in has angustias studiorum ingenia conijciamus. Volentes enim mysteria nostrae fidei extollere, sine necessitate ea difficiliora reddimus.

Porro autem, necessarium non esse concedere aliquem concursum physicum instrumenti cum Deo, ad defendenda mysteria nostrae fidei, patebit ex ijs, quae dicemus 3. p. q. 13. art. 2. differentes de potentia humanitatis Christi ad patranda miracula, & q. 60. art. 4. disputantes de efficacia sacramentorum novae legis: ubi ostendimus, nec Conciliorum, nec Scripturae, nec Patrum testimonia plus aliquid, vel leuiter indicare, quam efficacitatem moralem in Christi humanitate ad patranda miracula, & in sacramentis ad producendam gratiam.

Deinde hanc virtutem instrumentariam, quam vocat obedientialem, cum recta philosophia pugnare, hoc ratione ostendo. Si talis virtus instrumentaria esset in rebus, deberet esse nativa cuilibet rei, cum non esset ab extrinseco derivata. Non dixi, futuram esse naturalem: quia posset aliquis dicere, eo non esse appellandam naturalem, quod non haberet ordinem completum efficientis ad effectum naturalem: sed ad effectum supernaturalem ita refertur, ut compleri debeat concursu Dei supernaturali. Ne igitur de nomine contendamus, eam non dixi naturalem, sed nativam: id enim aliqui nativum dicunt, quod ex principijs proprijs ipsius oritur, quare multo magis haec instrumentaria virtus dici deberet nativa, quia ab ipsa natura substantiali rei non distingueretur: atqui nulla virtus creaturis nativa esse potest ad quemlibet effectum: ergo neque instrumentaria virtus obedientialis in eis reperitur. Porro nullam virtutem ad quemlibet effectum creationis naturam esse, sic probatur. Aut virtus illa est completa, aut inchoata: dico autem completam, cui respondeat non solum aliqua ratio in effectu, sed adaequate totum quod in effectu producitur, & secundum omnem rationem illi tribuatur. Inchoata vero cui non respondeat effectus secundum omnem rationem, sed secundum aliquam: sicut sup. disp. 43. c. 5. diximus, visio clarum Dei tribui nativae virtuti intellectus nostri

Vasquez in 1. p. tom. 2.

non secundum totum esse, quod habet visio, sed secundum, quod intellectus est: quae quidem virtus inchoata compleri debet aliquo proximo principio adiuvante & cooperante, sicut intellectus adiuvatur specie ad intelligendum quodcumque obiectum, & lumine gloriae ad videndum clare Deum: necesse autem est, hanc virtutem instrumentariam uno ex his duobus modis esse causam. Quod enim indigeat concursu Dei, hoc commune est virtuti completae, & inchoatae, eo quod Deus sit prima omnium causa, quae hoc ipso, quod prima est, universali quadam virtute concurrere debet, neutro autem modo virtus illa esse potest ad quemcumque effectum: ergo nullo modo, neque in instrumentum, concurrere potest. Primum quidem non potest esse virtus completa ad operandum, modo explicato: si enim à virtute nativa cuiusque creatura procederet effectus quicumque, secundum omnem rationem, non esset necessaria alia causa secunda, & proxima ad talem effectum: sed solum prima, ut universali illa ratione, quae cum creatura cooperatur: posita enim causa creata alicuius effectus secundum omnem rationem, quae in illo est, non est altera proxima necessaria: ut ostendimus supra disp. 43. c. 5. sic autem nulla talis creatura esset instrumentum, sed principalis causa: sicut sunt aliae causae secundae, quae sine concursu primae nequeunt operari: & concursus, quo Deus cum qualibet creatura ad quemcumque effectum concurreret, non esset supernaturalis: quia esset ad id, quod secundum omnem rationem nativa virtus creaturae ex se operatur. Nam creatura quae nativa sua virtute vim habet, ut concurrente prima causa, aliquid operetur secundum omnem rationem, non potest dici instrumentum, nisi latiori significatione, quatenus omnis secunda causa dicitur instrumentum primae. Adde, quod alia ratione inferius probabitur, concursum Dei cum nativa virtute creaturae non esse supernaturalem: ergo talis virtus creaturae non potest esse completa.

Neque vero potest esse inchoata virtus, ut supra explicuimus: quoniam si creatura concurreret nativa sua virtute ad aliquam rationem in effectu concurreret ad illam ut propria causa, licet indigeret secunda alia causa, aut concursu primae loco illius, ut complete fieret effectus secundum omnem rationem: nam causa, quae propria & innata virtute aliquid confert ad effectum, & ipsum producit secundum aliquam rationem, est causa principalis respectu illius, quod producit: licet indigeat alia secunda causa, vel concursu primae loco illius: alia inquam, causa adiuvante, aut supernaturali, ut intellectus compleatur lumine gloriae ad videndum Deum, aut alia secunda causa naturali adiuvante, ut intellectus adiuvetur specie intelligibili ad cognoscendum hoc obiectum, aut illud: hoc autem non videtur concedendum in creatura ad quemlibet effectum: primum, quia non apparet quae ratio producta in quouis effectu tribuatur nativae virtuti creaturae, quae dicitur assumi ut instrumentum. Deinde, quia si aliqua ei assignaretur posset ipsi coniungi causa alia secunda creata naturalis, quae compleret efficacitatem eius ad quemlibet effectum non supernaturalem secundum substantiam, ut ad restitutionem oculi: quia hic effectus naturalis est secundum substantiam, & solum ex modo producendi, quia cum à solo Deo producitur sine vlla causa naturali exigente, dicitur supernaturalis, ut disp. 2. 14. notabimus. Quare si ad hunc

effectum, & similes haberet quævis creatura inchoatam virtutem naturam; posset inchoata illa virtus compleri, alia secunda causa adiuvante creata: quia ille effectus secundum suam substantiam naturalis est. Frustra autem videtur inchoata virtus ad effectum secundum substantiam naturalem, quæ non possit alia causa secunda naturali compleri, ut integrum effectum, & secundum omnem rationem producat: ad effectum autem supernaturalem secundum substantiam, ut ad gratiam producendam, posset compleri per secundam causam creatam, quæ esset forma supernaturalis, & qua completetur efficacia ipsius, ut effectum integre produceret. Frustra enim videtur inchoata virtus nativa ad producendum effectum supernaturalem secundum substantiam, quæ non possit aliqua forma supernaturali compleri. Quod si Deus suppleret vicem alterius secundæ causæ naturalis, aut supernaturalis completis efficacitatem illam inchoatam, hoc non obest, quo minus inchoata virtus creaturæ esset propria causa effectus cuiuscunque; secundum illam peculiarem rationem, sicut etiam intellectus est causa propria visionis Dei secundum rationem intellectus, & vitalis, etiam si eius virtus compleatur concursu peculiari Dei suppletis vicem luminis.

At dicit quis, in qualibet creatura esse nativam virtutem inchoatam ad quemlibet effectum; non quia illa possit concurrere ad quemlibet effectum ut propria causa, secundum aliquam rationem; sed quia ita ad omnem rationem effectus propria virtute concurrat, ut solo auxilio supernaturali Dei ipsi non debito concurrere possit: ideoque inchoatam virtutem vocari, non quia quemlibet effectum secundum aliquam ipsius rationem producere possit, sed quia ei non est debitus concursus naturalis Dei, & solo supernaturali non debito potest operari.

Verum hoc effugium facile potest præcludi. Primum, quia, ut supra dicebamus, si quævis creatura nativa sua, & propria virtute aliquid potest conferre ad quemlibet effectum, nihil ei deesse potest, quo minus sit causa propria talis effectus, & ei concursus naturalis Dei respondeat, ut operetur: nam concursus respondet nativæ virtuti naturalis est; & talis virtus non obediens, ut ipsi loquuntur, sed naturalis dicenda esset; & effectus ipsi respondens naturalis vocari deberet. Deinde multi effectus per quamlibet creaturam producti, non essent supernaturales secundum substantiam, sed naturales, qualis est oculi restitutio: si autem ad hos effectus esset nativa virtus, in qualibet creatura, cui responderet, & daretur aliquis concursus Dei ad eisdem effectus producendos, proculdubio esset concursus naturalis; non influxus Dei vno ex duobus modis dicitur supernaturalis, ut disput. illa ostendimus, vel secundum substantiam, quia datur ad effectum supernaturalem secundum substantiam, ut ad visionem Dei, & ad gratiæ habitualis productionem: vel ex parte modi, quia nulla causa, nativa sua virtute, id postulant, Deus aliquid operatur: ut cum cæco oculum restituit. Si autem in quavis creatura esset nativa virtus ad restituendum oculum, iam influxus ille, nec esset supernaturalis secundum substantiam, ut patet, neque esset supernaturalis ex parte modi, quia esset ad concurrendum cum nativa virtute causæ creatæ. Quare absque fundamento

diceretur virtus illam creatura obediens; cum vere esset causa secunda.

Dicunt deinde adversarii virtutem illam obediens ideo esse instrumentariam, & concursum Dei, qui ipsi confertur, esse supernaturalem saltem ex parte modi, quia illa non est proportionata effectui, idem est, quod non est proportionata, recte sequeretur ea, quæ habemus intulimus. Ceterum qui sic respondent, aut difficultatem propositam non dissolvunt, aut destruunt quod posuerant in prædicta sua opinionione: aut enim virtutem illam non esse proportionatam & adequatam effectui, idem est, quod non posse sine concursu primæ causæ operari: & hoc non satis est, ut sit instrumentaria; hoc enim concursus egent omnes causæ: aut idem est, quod virtutem illam nativam esse inferiorem, quia ut est tanquam effectus respondet id, quod debet produci: & hoc perinde est, atque negare virtutem innatam ad quemlibet effectum. Nam virtus, quæ ex se confert aliquid ad productionem effectus, non potest non esse proportionata & adequata ei, quod producit: si autem non est aliquid, quod producit in effectum, proportionata & adequata, ex se nihil conferre potest, & perinde est, non esse proportionatam, atque nihil esse. Ac postremo, si defendere debemus virtutem instrumentariam in quavis creatura, non debet esse innata instrumentum, sed derivata aliquo modo à principali agente vel per qualitatem, vel per modum, vel per assistentiam. Quod si hoc etiam modo ostendi nequit, ut vidimus, melius est, tale genus instrumentum omnino negare. Argumenta aduocatorum c. 6. diluuntur.

CAPVT V.

Quomodo cetera instrumenta habeant prænam operationem, vel aliquid propria virtute productum in effectum.

Quæcunque communiter dicuntur instrumenta, prænam aliquam operationem habere, aut aliquid in effectum producere propria & naturali virtute, inductione monstrare possumus. *Scilicet in 4. d. 1. q. 5. ad primam questionem dicitur q. 6. q. 5. Circa tertium principale, enumeratur sex modus, quæ hoc nomine vocari solent. Primo secundæ causæ, etiam si principales sunt, collatur cum Deo, qui est prima omnium causa, dici solent instrumenta illius, tamen in se virtutem nativam habeant producendi suum effectum: ea vero solum ratione instrumenta dicuntur, quia subduntur motioni primæ causæ, & ab eadem operatione essentialiter pendunt. Secundo modo dicitur accidentaria aliqua forma instrumentum, quia ut propria causa producat virtutem dispositionem, quam confestim & naturaliter consequitur forma substantialis: tamen si consideret, ad productionem ipsius forme substantialis nihil operari instrumentum illud, sed ea ratione duntaxat dici instrumentum, quia producit prænam dispositionem, de quo modo non est nobis disferendum: nunc satis sit, hoc genus, instrumenti natura sua ordinatum esse ad talem effectum propter prænam dispositionem, quam sua virtute operatur, ut in disputatione, quam sua virtute operatur, ut in disputatione natura referatur ad illum: huiusmodi instrumenta sunt calor ignis ad ignem producendum, caliditas animalis ad gignendas canes, & alia id genus.*

Tertio dicitur instrumentum pars aliqua operantis, per quam proxime derivat virtutem & operationem, ut manus ad scribendum, oculus ad videndum; tamen in tali parte fit virtus propria & innata æqualis ad talem effectum. Sic *Arist.* 2. de anima c. 4. manum appellavit instrumentum coniectum, remonem vero instrumentum separatum ad gubernationem navis. Eadem ratione calorem naturalem vocavit instrumentum animalis ad nutritionem. Quarto sunt instrumenta artis, quæ licet proprie non habeant virtutem ad operandum, in arte prosequitur Scotus loco citato, nihilominus ex se, & ex propria natura aliquid conferunt.

His omnibus addere possumus, si placet quantum ad genus instrumenti, nempe facultates intellectus, & voluntatis ad actus supernaturales, qualis est intellectus ad videndum Deum, & ad credendum, & voluntas ad diligendum, & ad alia huiusmodi: nam tam respectu Dei mouentis, & solo auxilio suo & concursu suppleante concursum habitus supernaturalis, quam respectu ipsius habitus, facultas naturalis dici potest instrumentum ad totam operationem; tamen aliqui causam partialem non immerito eam appellant. In his autem omnibus videmus, instrumenta ex se aliquid conferre naturæ suæ virtute; & ex ea parte causæ propriæ & principales dici possunt: ideoque non mirum est, si suapte natura referantur ad effectum, & effectus ad ipsa: nam, ut omittam cetera generalia instrumentorum, in quibus manifestum est id, quod dicimus, in hoc postremo id ipsum aperte probatur. Intellectus namque quantumvis supernaturalis, qualis est visio Dei clara, ita efficitur à lumine supernaturali, aut à Deo suppleante vices luminis, ut etiam intellectus ex sua naturæ virtute aliquid conferat: illa enim in ratione visionis, & operationis virtutis, intellectui responderet: at genus instrumenti, quod aduersarij asserere moluntur, nihil omnino ex se conferre potest ad effectum: ergo non mirum, si dicamus intellectum, & voluntatem, in quibus sunt initia quædam illarum operationum, eleuari posse à Deo, dum complet inchoatam illorum efficacitatem: ceterum autem instrumenta, in quibus nihil est naturæ virtutis respectu effectus, non posse omnino eleuari. Ceterum cum in intellectu & voluntate ad actus supernaturales sit inchoata quædam virtus, ex se accommodata & sufficiens ad producendam in effectu rationem aliquam, nempe aut intellectus, aut volitionis, ut supra in hac disp. & disp. 43. cap. 5. monstrauimus; ita debemus vocare intellectum, aut voluntatem instrumenta ad actus supernaturales, ut non negemus esse causas proprias & principales, quas partiales vocant, respectu illius rationis, quæ in effectu ipsius respondet. An vero dici debeat intellectus, aut voluntas instrumentum ad actus supernaturales, non rerum magna, sed parua vocum dissensio est, quæ parum interest, dummodo dicamus, ut superiori capite notatum est, intellectum proprium virtutis naturalis ex se aliquid conferre ad actum supernaturalem, & voluntatem similiter.

Sed obiciunt nonnulli hoc modo. Quamvis intellectus ex se virtutem habeat producendi intellectionem aliquam sub ratione communi intellectionis, tamen non habet virtutem producendi rationem intellectionis, quæ contracta est

per differentiam supernaturalem, qualis est visio: aut certe, si sufficit, habere virtutem illam circa intellectionem in vniuersum, ut eleuetur ad talem intellectionem; sic etiam quæcunque res, quæ habet virtutem producendi aliquid ens, poterit eleuari, ut producat hoc ens: quia iam habet ex se initium aliquid; præsertim vero quælibet qualitas, & substantia eleuari poterit, ut producat gratiam; quia cum ex se habeat inchoatam virtutem producendi qualitatem, compleri potest, ut producat talem qualitatem. Verum hæc obiectio facile diluitur: nam in intellectu nostro ita ponimus nos inchoatam virtutem producendi intellectionem, ut illa non solum ex se respiciat vniuersam intellectionem, ut intellectio est, tanquam opus sibi adequatum; sed quæcunque intellectionem, etiam supernaturalem, fieri nequeat, nisi cooperatione intellectus, cum essentialiter ab ea pendeat. Ex quo etiam probauimus disputat. 43. cap. 4. intellectionem illam supernaturalem manare ex parte à naturæ virtute intellectus; nec totam virtutem operandi esse à lumine; idque necessario fatendum esse. Habet igitur intellectus ex se inchoatam virtutem, quæ aliqua peculiari virtute addita compleri possit ad talem effectum supernaturalem producendum: & non tantum producere potest quamlibet aliam intellectionem, sed etiam adiutus principio supernaturali sua virtute propria cooperari ad elicendam intellectionem illam, quæ supernaturalis est: quin imò illa fieri nequit à solo lumine, nisi etiam intellectus sua efficacia naturalis adiuuet: alioquin, si ex te nihil conferret intellectus naturæ virtutis, aliud instrumentum posset assumi: at quævis alia res, ut ferum verbi gratia, vel aqua, quæ ex te producere potest aliquam qualitatem, vel aliquid ens, non propterea eleuari potest ad producendum quodlibet ens. Tum, quia naturæ virtus illius non respicit ens, aut qualitatem vniuersæ: quod enim potest producere calorem, non habet virtutem, neque inchoatam ad aliud ens, aut aliam qualitatem, sed respicit calorem, ut effectum sibi adequatum. Tum etiam, non omnis qualitas, nec omne ens postulat esse à ferro, vel ab aqua, sicut omnis intellectus ab intellectu: signum ergo est, nec inchoatam efficacitatem esse in his rebus, ut instrumenta esse possint ad quemlibet effectum, sicut est in intellectu, ut esse possit ad quamlibet intellectionem idemque iudicium esto de voluntate. Quod vero nonnulli obiciunt, ex hac opinione sequi aliquid, quod Pelagius fatetur, nempe voluntatem nostram ut causam propriam partialem concurrere ad actus supernaturales, friuolum sane est. Errores enim Pelagij manifesti sunt, quos exacte retulimus disp. 98. c. 4. Affirmare autem, ad actus gratiæ & supernaturales, nos concurrere ex parte, naturæ & propriæ nostræ virtutis, quid habet commune cum Pelagio, qui de hac re ne verbum quidem dixit? Imò vero Catholica doctrina Concilij Trident. sess. 6. c. 5. & canone 4. est, hominis arbitrium cooperari sua libertate ad actus gratiæ, nec esse sicut inanime instrumentum: libertas autem est naturæ virtus nostræ voluntatis, & propria causa consensus, ut consensus est; tamen quatenus talis ordinis, sit à gratia. Hæc igitur commixtio efficacitatis propriæ, & gratiæ in nostris operibus, fidei nostræ maxime consentanea est.

Postremo alij sic arguunt. Multo magis est; eleuari à Deo intellectum ad visionem Dei, & ad actus supernaturales, quam eleuari calorem, vt quatuor à Deo ad producendum calorem vt octo: sed si calor eleuaretur hoc modo, non esset vlla ratione causa propria caloris vt octo secundum excessum illum: ergo nec intellectus vlla ratione est causa propria visionis Dei. Ceterum hoc argumentum facile diluitur: primum, quia comparatio inutilis est, eo quod calor, vt quatuor non potest eleuari à Deo ad producendum excessum caloris vt octo, vt iam satis probatum est: intellectus autem noster potest eleuari ad videndum Deum hoc solum, quod virtus, quam habet ad intelligendum, supernaturali aliquo principio compleatur: est igitur inutilis comparatio adducta in argumento. Deinde etiam si posset calor eo modo eleuari, non esset eadem ratio vtriusque: nam calor vt quatuor non haberet inchoatam virtutem ad illum excessum, nec excessus ille postularer natura produci à calore, vt quatuor: at intellectus certe habet inchoatam virtutem ex se ad intelligendum, ita vt visio Dei non possit sine vi naturali intellectus, produci, ac proinde minus distat intellectus à visione in ratione agendi, quam calor, vt quatuor à calore vt octo.

CAPVT VI.

Solutio Argumentorum prioris opinionis.

Argumenta vero prioris sententiae nihil habeant difficultatis. Ad primum & tertium dicimus, neque ad incarnationem posse assumi instrumentum physice concurrens, neque ignem inferni ad imprimendam qualiter damonibus, propter rationem prædictam, quia vniuersum probauimus, non posse rem assumi vt physicum instrumentum, quæ ex se non habeat aliquam præuiam operationem, vel inchoatam virtutem ad talem effectum: hanc vero non habet vlla creatura ad incarnationem, & vnionem diuinitatis cum humanitate, nec ignis ad illam qualitatem. Adde, quod qualitas illa angelis impressa cōmentitia est, vt inf. di. p. 142. c. 5. ostendimus, quare ex illa nullum desumi potest argumentum. Eodem modo dicimus ad secundum, verba nimirum Sacerdotis in consecratione (& idem generatim de quolibet sacramento sentiendum est) non operari physice ad transubstantiationem, aut ad effectum sacramenti, sed solum vt instrumenta moralia per modum impetrationis propter eandem rationem. Atque hinc patet solutio tertij implicare nimirum contradictionem, rem aliquam assumi vt instrumentum ad creandum, vt c. 3. ostensum est.

Ceterum circa secundum argumentum obiter obseruandum est, etiam si verba consecrationis essent physica instrumenta transubstantiationis, id quod nouas etiam alias habet difficultates, vt suo loco videbitur: nulla tamen ratione dicendum esse, ea operantur physice substantiam corporis & sanguinis Christi, vt nonnulli comminuntur. Primo quia ad defendendam rationem veræ & propriæ transubstantiationis, id prorsus superuacaneum est. Vt enim definitur in Concilio Trident. sess. 13. cap. 4. ex sola veritate verborum, veræ & propriæ transubstantiationis colligitur: ac proinde cum sola veritate illorum constare po-

ARTIC. V.

test; atqui etiam si verba non efficerent physice ipsam substantiam corporis Christi, nihilominus essent vera: ergo esset vera & propria transubstantiationis. Si enim prolatis verbis Christus esset vbi, & simul non esset panis, vera essent verba: ergo absque eo, quod producerent substantiam corporis Christi posset esse vera. Quare superuacaneum videtur, physicam illam efficaciam verborum circa substantiam ipsam corporis comminisci. Verba Concilij sunt. *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, idcirco persuasum in Ecclesia Dei fuit, idque nunc demum sancta hæc synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri tantæ substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius; quæ conuersio conuenienter, & propriè à sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata.* Quis autem audeat asserere, ad inferendum veram transubstantiationem necessarium esse aliquid aliud, præter veritatem; cum ex illa sufficienter eam colligat Concilium, & Ecclesia semper collegerit. Hoc argumento in disputationibus Theologicis ante annos 14. vix sum, vt probarem, ad veram transubstantiationem necessarium non esse physicam productionem termini substantialis, quæ ex natura rei cum destructione panis connexa sit: quod non parum acuti & docti Theologi, vt contrariam tuerentur sententiam, varie dissoluere postea conati sunt.

Primo respondent, Ecclesiam non collegisse transubstantiationem ex sola veritate verborum, sed etiam tanquam notum supposuisse. Deum esse fecisse hoc mysterium modo maxime conuenienti veritati verborum; hic autem erat per additionem substantiæ, quæ produceretur terminus ad quem sicut etiam colligit Ecclesia, substantia panis in se destructa, cum tamen posset esse vera verba si substantia panis maneret separata ab accidentibus, & in locum peculiarem reposita: quæ conuenienti non erat, substantiam panis ita reformat, sed omnino destruit, & ita Ecclesia non collegit ex sola veritate verborum, consecrationem factam fuisse. Fateor quidem, Ecclesiam supponere, conuenienti modo consecrationem fieri, vt vera reddatur verba. At conueniens modus censei debet, quem nos ponimus: si enim ex eo solum, quod in verborum corpus Christi sit sub speciebus, & hoc præsentia his verbis significata, panis destructus, verba obtinent suam veritatem; multo conuenientius erit, asserere, hoc modo factam fuisse consecrationem: cum modus hic multo facilius sit, quam asserere, corpus Christi produci tali actione substantiali, quæ suapte natura inferat ex se destructionem panis; qui modus philosophi optatè necesse excogitatus, insuperabiles continet difficultates: ille autem modus, qui facilius est, magis conueniens censei debet huic mysterio.

Secundo respondent aliqui, Concilium etiam ex veritate verborum non collegisse transubstantiationem: quia ad hoc necessario supponere debebat, non posse esse vera verba, si substantia panis, & vini maneret sub accidentibus: quod præcipuum valde infirmum est: sed collegisse transubstantiationem ex traditione Ecclesiæ, quæ non solo naturali discursu, sed diuinitus illustrata attestat, quia Christus in sensu vero, & proprio dixit, esse corpus suum, quod offerebat; idcirco esset

simul conuersionem vnius substantiæ in aliam. Verum hæc solutio ex verbis citatis Concilij confutari potest, & secum minime constare videtur. Nam verbis citatis dicitur, Ecclesiam semper sibi persuasam habuisse, hic fieri transubstantiationem ex eo, quod Christus vere esse dixit corpus suum, & aunc denuo ipsum Concilium idem definire; cum ergo tanquam causam huius sensus Ecclesiæ assignet Concilium veritatem verborum, non alia ratione hoc persuasum sibi habuit Ecclesia, nisi quia verba vera esse non poterant, si substantia panis & vini ibi maneret. Adde, quod si hac rationatione non potuit Ecclesia sufficienter adduci, vt hoc existimaret, non potuit credere, ibi fieri transubstantiationem, ex eo, quod Christus in sensu vero, & proprio dixit, esse corpus & sanguinem suum id, quod offerebat, sicut prædicti Doctores affirmant: sed aliunde id credere debuit, ergo prædicti Theologi in hac solutione secum non satis constant.

Tertio respondent aliqui, ex sola veritate non collegisse Concilium conuersionem consubstantialitatem, sed conuersionem substantiarum, quam licet appellauerit transubstantiationem: non tamen appellauit substantialem conuersionem: dicunt autem in hoc sacramento non solum esse concedendam conuersionem & transubstantiationem, sed etiam substantialem commutationem, quæ sine productione substantiæ, in quam fit conuersio, intelligi nequit. Ego tamen non video, quare ratione prædicti Theologi contendunt, non solum defendere in hoc sacramento veram conuersionem vnius substantiæ in aliam, quæ proprie dicitur transubstantiatio: sed etiam alium difficillimum modum substantialis actionis, quo producatur terminus conuersionis: cum nulla ratio talem actionem in hoc sacramento postulare videatur. Nam licet ea possibilibus esset: tamen eatenus solum adstrui deberet, quatenus necessaria esset, ad defendendam veram, & propriam conuersionem vnius substantiæ in aliam, substantiam, quæ conuersio vere & proprie dicitur transubstantiatio; hoc enim necesse est ab omnibus ita doceri, cum ab Ecclesia id definitum sit. Quod si vera transubstantiatio recte defenditur sine tali actione substantiali: quoniam obsecro fundamēto talem actionem substantialem excogitabimus: vel quæ necessitas ad eam asserendam nos cogere poterit, præsertim cum talis actio, si possibilibus esset, non sine magno miraculo esse posset. Miracula autem, quæ necessaria non sunt ad defendendum mysterium huius sacramenti, concedi non debent: alioquin plura alia consingere liceret. Porro autem concilium ex sola veritate verborum non solum collegit, fieri conuersionem vnius substantiæ in aliam: verum etiam addidit, eam euenienter & proprie ab Ecclesia transubstantiationem appellari. Hoc ergo solo contenti sumus, & reliqua omnia, etiam si vt possibilia aliquo modo defendi possent tanquam superuacanea reiiciamus.

Quarto respondent aliqui, Concilium non collegisse transubstantiationem ex veritate speculativa omnino, sed ex practica, quæ facit id, quod significat: id autem, quod significatur his verbis, esse veram transubstantiationem, quæ necessario postulat productionem termini ad quem. Ego quidem facior, veritatem horum verborum practice esse, & non tantum speculatiuam; non quod

veritas practica in alio posita sit, quam speculatiua; nam ytraque, quatenus veritas, in eo formaliter est, vt enunciet esse id, quod est, quæ dici solet conformitas vocum cum re enunciata: sed quia practica hoc habet peculiare, vt verba enunciationis simul etiam efficiant in re id, quod significant, ad quam veritatem sufficit, vt in fine integre prolationis fiat effectus: speculatiua vero id opponit. Ceterum, vt prædicta verba sint vera veritate practica, non video, quid aliud requiratur, quam vt corpus Christi, & sanguis virtute verborum ita fiat præsens sub speciebus, vt eo ipso destruat panis; quod si hoc sufficit, vt verba sint vera: superuacaneum profecto erit, asserere corpus Christi ibi re ipsa produci: etiam si alias verba illud producerent, si productum non inuenirent, de quo suo loco dicitur. Quocirca etiam vera ratio transubstantiationis, quæ ex sola veritate colligitur, concedi debet, absque eo, quod terminus ad quem illius producatur.

Secunda ratio. Si verba physice efficerent substantiam corporis Christi, non efficerent aliud, quam id, quod significant, & id quod dicitur esse in sacramento ex vi verborum: at hoc non posset esse terminus physice productionis; quia nec esset corpus cum anima, nec mortuum: anima enim est per comitantiam, & forma cadaveris, si ibi esset, eodem modo esset: ergo non esset firmum aliquid, quod per se terminaret actionem physicam, & productionem substantiæ corporis Christi. Huic rationi varie respondent recentiores nobis tamen sufficiat, nunc eam attingisse: nam reliqua suo loco vberius dicemus, vbi & singulas solutiones impugnabimus. Tertia ratio vel productio illa esset conseruatio antiqui esse Christi, vt aliqui asserunt, & superflua omnino videtur: vel esset noua productio, vt nonnulli dicunt, rem eandem posse bis, & ter produci in diuersis locis. Et hæc est impossibilis: nam quomodo res eadem possit esse in diuersis locis ratione diuersorum modorum, vt statim dicemus; tamen res existens in duobus locis, non habet duo esse substantia, nec substantialiter diuersa; ac proinde non potest tot nouis productionibus produci, vt suo loco fusius tractabitur.

Mitto rationem illam, quæ contra prædictam sententiam fieri solet, quia ex ea sequeretur, idem producere seipsum; siquidem humanitas Christi esset instrumentum physicum transubstantiationis, vt prædicti doctores faciunt; & seipsam produceret; hanc enim rationem fusius suo loco persequemur.

Verum enim uero, licet extra rem esse videatur, paucis explicemus materiam transubstantiationis, quam contendit Ecclesia; siquidem diximus ad eam non esse necessariam substantialem illam productionem. Est ergo transubstantiatio nihil aliud, quam ordo inter substantiam definiētem panis aut vini, & substantiam corporis & sanguinis Christi, quatenus substantia corporis, & sanguinis præsentia sua non physice, sed vi significationis verborum (hoc est, vt sint vera verba) hoc ipso, quod adest, substantiam panis, & vini è medio tollit; & quamuis si hæc forma esset in consecratione, sit hic corpus Christi, & non sit panis, re ipsa idem effectus sequeretur, quod attinet ad præsentiam corporis Christi, & definitionem panis; nihilominus quia ex vi præsentia, vt signi-

significaretur, non expelleretur substantia panis eisdem verbis, & eadem individua significatione non diceretur transubstantiatio, nec panis in corpus transire. Nam una parte orationis significaretur præsentia corporis Christi, quod manere posset cum pane, & alia parte significaretur desinitio panis: nunc autem eisdem verbis, & eadem individua significatione, ita Corpus Christi præsens significatur, ut hoc ipso, non expressa desinitio panis, substantia illius necessario desinat: quia alioqui non esset vera propositio: nam modus efficiendi moraliter ex sola significatione assimilatur modo efficiendi naturali: agens enim naturale ita inducit formam, ut hac ipsa inducta expellat contrariam, & non alio modo. Quare non debemus dicere terminum transubstantiationis esse præsentiam ipsam, licet hæc ad transubstantiationem requiratur: sed substantiam corporis & sanguinis. Ex illo namque ordine significationis, quem explicauimus, sequitur, ut dicamus, panis transibit in corpus Christi; quia corpore Christi significatio præsentis, vi significationis expellitur panis.

Præterea ex dictis consequitur, non merum nomen transubstantiationis, quamcumque, licet nomen substantiarum, qualis est in eodem loco, vel sub eisdem accidentibus: nisi ex vi præsentie vnius alia desinat: id quod solum fieri potest veritate verborum. Alio autem modo solum esset successio substantiarum, qua quidem non diceretur una substantia in aliam transire: sed non diceretur successio substantialis, qua non tantum una alteri succedit quomodocumque; sed substantia- liter succedit: hoc est, ex vi suæ præsentie facit, ut altera desinat, qua etiam de causa ea, quæ desinit, dicitur in præsentem transire, sed de hoc latius suo loco.

39.
Transubstantiatio
non est
creatio

Ex his omnibus infero id, quod ad nostrum pertinet institutum, transubstantiationem non esse creationem, non quia sit ex termino aliquo positum; sed quia non est productio termini, ad quem, eo quod transubstantiatio non est productio, sed ordo quidam vnius transeuntis in aliud, ut explicatum est. Quod si esset productio totius entis secundum materiam, & formam, & secundum totum esse illius; dico primum, meo iudicio, fore creationem etiam si terminus, à quo, esset quid positum, substantia nimirum destructa, quia creatio est productio rei secundum totam suam entitatem; & ita illud, ex nihilo, quod ponitur in definitione creationis, non intelligeretur ex parte termini, à quo; sed idem esset, ex nihilo, quod, non ex aliquo principio constituyente, ut dicebat Durand. allegatus supra disp. 173. c. 3. nunc autem cum transubstantiatio alia ratione non sit creatio, bene possumus dicere, illud ex nihilo, poni posse pro termino à quo creationis. Deinde dico, etiam terminum, à quo creationis tunc fore nihil, ut inferius explicabitur.

40.

Sed quæret aliquis, si fieret talis transubstantiatio, ut ex vi productionis termini, ad quem secundum se totum, destrueretur substantia præcedens, quæ est terminus à quo, quando scilicet transubstantiatio fieret, non in rem ante existentem, sed tunc productam; nunquid esset vera creatio? tunc enim esset productio totius entis secundum se; sed ex aliquo ex parte termini à quo, quod videtur tollere rationem creationis. Respondeo, si

talis transubstantiatio esse posset, esset sane creatio, & vocem illam *ex nihilo*, ego intelligerem cum Durand. non pro termino à quo, sed pro eo quod est non ex aliquo constituyente quomodocumque: terminus enim à quo parum videretur ob stare, quo minus illa transubstantiatio esset creatio; cum esset productio totius entis. At dicit quis, licet vi productionis vnius substantie, alia destrueretur physice, destructio illius non esset annihilatio, quia non esset in nihilum simpliciter, sed in non esse tale: ergo contra etiam productio alterius, non esset productio entis simpliciter, sed talis entis. Respondeo, ideo tunc deiectionem vnius substantie non fore annihilationem, quia non esse illius esset causaliter coniunctum cum esse alterius substantie; & ita non esset nihil simpliciter, sed non esse tale: at vero substantia, quæ inciperet, & ex vi huius productionis destrueretur aliam, inciperet secundum totum suum esse, atque adeo productio illius esset productio entis simpliciter; quia esset totus entis, secundum omnem partem substantiam ipsius; quod est proprie de ratione creationis: nam terminum à quo esse nihil, carens solum requiritur, quatenus nihil illius maneat in compositione termini ad quem.

Ceterum existimo, nullam talem esse posse transubstantiationem: quia non video, quoniam productio entis ex se, & natura sua connexionem habeat cum destructione alterius substantie præ-existentis secundum se totam, vi latius suo loci dicam, & censeo connexionem solum esse posse ex parte veritatis verborum ita significantium vnam quam facit, ut hoc ipso destruat aliam: quæ hæc connexio sufficere non posset ut res, quæ destrueretur, esset physice terminus à quo productionis: hoc enim deberet cum desitione illius, in corpore alterius naturaliter connecti, & non solum et voluntate instantis verba: sed tunc solum terminus ille à quo positus diceretur esse terminus transubstantiationis, & ordinis vnius substantie transeuntis in aliam ratione verborum: quæ nunc substantiatio formaliter non esset productio, licet coniungeretur productioni.

Quare si ex veritate verborum sola fieret, incipiente una substantia sub accidentibus alterius, illa destrueretur, & substantia incipiens esse ibi produceretur tunc, secundum totam entitatem, deberemus ibi considerare, & distinguere duo, vnum esset ordo vnius substantie destruentis aliam præsentiam ex vi verborum; & hæc esset transubstantiatio eiusdem rationis, atque nunc est, solum innitens veritati verborum, & non physice oppositioni substantie cum substantia, ut nullam destrueret: alterum esset creatio, quatenus esset physica actio produciens substantiam in terminum ad quem, secundum totam entitatem: & hæc assignare deberemus pro termino à quo, nullam productio illa quatenus productio secundum totam substantiam physice ex nihilo procederet, & non ex substantia illa, quæ diceretur esse terminus à quo transubstantiationis: hæc enim terminus à quo, solum esset ordinis transubstantiationis, quatenus responderet solum veritati verborum, & non physice productioni substantie in terminum ad quem. Et nunc quidem de facto concedere debemus in transubstantiatione duo; vnum est consecratio substantie corporis *CHRISTI*, & hæc habet phy-

sic pro termino à quo, nihil, & sit à solo Deo: quia Deus solus conseruat corpus CHRISTI ex nihilo, etiam vt ex termino; iuxta superius notata disputatione 173. alterum est ordo duarum substantiarum: & hic habet solam ex vi verborum pro termino à quo substantiam panis, & ita dicimus, ex pane fieri Corpus CHRISTI; non quia producatur physice ex illo, sed quod præsentia sua destruat panem sola veritate verborum. Hæc satis hic dixisse sufficiat, pressius quidē, quam res postulat, nam suo loco fufius ea tractabimus, vt hinc saltem intelligamus naturam creationis. An vero panis in Sacramento annihiletur, ibidem explicabitur.

*Ad si potest
creatura
affirmatur
et infusa
mentum ad
creandum.*

Tandem obiciunt aliqui hoc modo. In creatura est potentia, quam vocant obedientialem, vt recipiat formam aliquam supernaturalem, & in eodem corpore, vt in se omnino immutatur, sit in diuersis locis, & ad illa referatur. Denique vt anima informet maius corpus, quam natura sua informare poterat; ergo in quauis creatura erit, vt assumatur tanquam instrumentum.

*Respondit
datur.*

Respondeo, diuersam omnino esse rationem. Nam creatura ita est subiectum ad recipiendam formam supernaturalem, vt ad recipiendam naturam suam potentia concurrat, imo ipsa sit prima causa recipiendi, nec ad recipiendum alia sit prior, virtute cuius dicatur idonea effici ad recipiendum. Quod enim indigeat supernaturali agente infundente formam, hoc non est eleuari, vt possit recipere in suo genere; sed est eleuari, hoc est perfici ab agente, vt eius capacitas habeat id, quod ex se recipere potest. Recipere enim proprius actus materie est, efficienti autem non respondet vt proprie causæ, actus recipiendi, sed infundendi, vt 1.2. quæst. 113. artic. 8. dicimus: at creatura nequit esse instrumentum ad eum effectum, ad quem nec initium aliquid efficacitatis, nec ex se aliquid confert ad illius productionem, vt probatum est.

Deinde corpus nequit esse in duobus locis, & ad diuersa referri, nisi in ipso fiat aliqua mutatio secundum modum: nam res eodem modo se habentes, sola Dei voluntate inuicem referri nequeunt: cum ergo aliquid corpus constituitur in diuersis locis in se recipit aliquem modum taliter se habendi, ex quo sequitur vt sit in diuersis locis: in instrumento autem nulla potest fieri mutatio, quæ sit idonea ad talem effectum, vt probatum est.

Postremo si forma potest informare maiorem materiam, & maiorem, necesse est ita materiam disponi, vt forma ei naturaliter vniatur; alioquin licet possit esse in tota materia secundum præsentiam, non poterit esse per informationem: informatio namque debet esse propria virtute, non aliena: quia forma ad informandum est prima causa, nec forma vlla in instrumentum assumi potest ad informandum: genus enim instrumenti solum in efficientibus contingit: vt autem res qualibet assumatur vt instrumentum ab efficiente, non potest nec effectus, nec ipsa res ita aptari, vt propria virtute ad illum saltem ex parte concutatur: est igitur longe diuersa ratio.

Denique his omnibus addendum est, etiam si aliquid posset assumi vt instrumentum physicum creationis, non posse vilo modo assumi vt instrumentum annihilationis: vt enim optime notauit

S. Thom. 3. p. q. 13. art. 2. annihilation eo solum fieri potest, quod agens, rem antea conseruans, subtrahit influxum, quo res sustentabatur: atqui licet agens influere posset in effectum medio instrumento, & ita medio illo creare, quia tamen non subtraheret concursum medio instrumento, sed se ipso, & virtute sua solum, & voluntate illud negaret, ideo ad annihilandum nullum assumi potest instrumentum.

ARTIC. VI.

Verum creare sit proprium alicuius personæ.

*243.
2. pro contr.
1. fin. Et per
9. g. art. 5.
20.*

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod creare sit proprium alicuius personæ. Quod enim est prius, est causa eius quod est post, & perfectum imperfecti. Sed processio diuinæ personæ est prior, quam processio creature, & magis perfecta: quia diuina persona procedit in perfecta similitudine sui principij, creatura vero imperfecta. Ergo processiones diuinarum personarum sunt causa processionis rerum. Et sic creare est proprium personæ.

2. Præterea. Personæ diuinæ non distinguuntur ab inuicem nisi per suas processiones & relationes. Quicquid igitur differenter attribuitur diuinis personis, hoc conuenit eis secundum processiones personarum & relationes. Sed causalitas creaturarum diuersimode attribuitur diuinis personis. Nam in Symbolo fidei Patri attribuitur quod sit creator omnium inuisibilium & visibilium. Filio autem attribuitur, quod per eum omnia facta sunt, sed spiritui sancto quod sit Dominus & uiuificator. Causalitas ergo creaturarum conuenit personis secundum processiones & relationes.

3. Præterea. Si dicatur quod causalitas creature attenditur secundum aliquod attributum essentiale, quod appropriatur alicui personæ, hoc non videtur sufficiens. Quia quilibet effectus diuinus causatur a quolibet attributo essentiali, scilicet potentia, bonitate, & sapientia, & sic non magis pertinet ad vnum, quam ad aliud. Non debet ergo aliquis determinatus modus causalitatis attribui vni personæ magis quam alij, nisi distinguerebatur in creando secundum relationes & processiones.

Sed contra est, quod dicit Dionysius 2. capite de diuinis nominibus, quod communia totius diuinitatis sunt omnia creabilia.

*Cap. 2. non
remota à
principio.*

Respondeo dicendum, quod creare est proprie causare siue producere effectum. Cum autem omne agens agat si-
bi simile: principium actionis conside-

rari potest ex actionis effectu. Ignis enim est qui generat ignem. Et ideo creare continetur Deo secundum suum esse, quod est eius essentia: quæ est communis tribus personis. Vnde creare non est proprium alicui personæ, sed commune toti Trinitati. Sed tamen diuinæ personæ secundum rationem suæ processionis habent causalitatem respectu creationis rerum. Vt enim supra ostensum est, cum de Dei scientia & voluntate ageretur: Deus est causa rerum per suum intellectum & voluntatem, sicut artifex rerum artificiatari. Artifex autem per verbum in intellectu conceptum, & per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum operatur. Vnde & Deus Pater operatur est creaturam per suum verbum quod est Filius, & per suum amorem qui est Spiritus sanctus, & secundum hoc processionem personarum sunt rationes productionis creaturarum inquantum includunt essentialia attributa, quæ sunt scientia & voluntas.

Q. 14. art. 8. q. 19.
art. 4.

In corp. art.

Ad primum ergo dicendum, quod processionem diuinarum personarum sunt causa creationis, sicut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod sicut natura diuina, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis conuenit, in quantum Filius accipit naturam diuinam à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque: ita etiam & virtus creandi, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis conuenit. Nam Filius habet eam à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque. Vnde creatorem esse, attribuitur patri, ut ei qui non habet virtutem creandi ab alio. De filio autem dicitur: per quem omnia facta sunt, inquantum habet eandem virtutem, sed ab alio. Nam hæc præpositio, per, solet denotare causam mediam, siue principium de principio. Sed Spiritui sancto, qui habet eandem virtutem ab utroque, attribuitur quod dominando gubernet & viuificet quæ sunt creata à patre per filium. Potest etiam huius attributionis communis ratio accipi ex appropriatione essentialium attributorum. Nam sicut supra dictum est, patri attribuitur & appropriatur potentia, quæ maxime manifestatur in creatione, & ideo attribuitur patri creatorem esse. Filio autem appropriatur sapientia, per quam agens per intellectum operatur. Et ideo dicitur de Filio, Per quem omnia facta sunt. Spiritui Sancto autem appropriatur bonitas, ad quam pertinet gubernatio deducens res in debitos fines, & viuificatio: nam vita in interiori

Q. 39. art. 8

quodam motu consistit. Primum autem mouens est finis & bonitas.

Ad tertium dicendum, quod licet effectus Dei procedat ex quolibet attributorum, tamen reducitur vniuersique effectus ad illud attributum, cum quo habet conuenientiam secundum propriam rationem. Sicut ordinatio rerum ad sapientiam, & iustificatio impij ad misericordiam & bonitatem se superabundanter diffundentem. Creatio vero quæ est productio ipsius substantiæ rei, reducitur ad potentiam.

Confirmatio doctrinæ articuli.

CONCLUSIO articuli est, Creatio est communis actio totius Trinitatis. Est autem de fide delicta. Ita in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. & refertur in cap. Firmius de iunctura Trinit. & fide Catholica, ubi tres personæ dicuntur consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes: & in essentiam Dei esse principium reum omnium, quæ æqualiter in tribus reperiuntur. Eadem conclusio clare habetur in Conc. Tol. cap. 1. & in 11. Cap. in confessione fidei, & in Epistola Agathonis, quæ est in 6. Synodo, actione 4. & in actione 17. recepta fuit toto Concilio. Est etiam doctrina communis patrum Dionysij 2. de diu. nom. Aug. 1. de Trinit. cap. 4. & 5. & passim in alijs locis. Ex qua doctrina axioma illud Theologorum manauit, Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Ratio autem est manifestata, nam cum omnipotentia sit commune, & essentialia attributum, cumque medio intellectu, & voluntate Deus operetur, ut disput. 102. cap. 3. monstrauimus; & hæc etiam sit communis omnibus personis, sequitur omnes ad creationem concurrere: supponimus enim id, quod contra Arianos, & Euenomianos probauimus disput. 109. & disput. 110. tres personæ consubstantiales esse, tollimusque gradus illius omnipotentie, & nullius potentiz quos ex cerebro Abailardus excogitauit: hinc autem recte sequitur prædicta doctrina. Quare cum filio dicitur attribui ratio ideo, per quam pater operatur, potest ita intelligendum est, ut ipsi soli conueniat ratio ideo, & soli patri potentia; sed per appropriationem hæc intelligenda sunt. Et hoc sane modo intelligerem ego sententiam Hieronimi quodammodo, si alioqui manifeste errat tribuens principium formale, & proximum filio, per quod Pater operatur essentiali autem intellectioni principium remotum. Hoc eodem sensu exponendi sunt aliqui Patres, qui dicunt, verbum æternum ministrasse Patri in creatione, aut ministrum illius fuisse. Quo pacto loquantur Apostoli in constitutionibus apostolicis lib. 5. cap. 19. prope finem. Iam nunc ministria, Clem. Alex. orat. exhortatoria ad gentes pag. 2. ubi filium vocat instrumentum Patris, sancta Cæcilia apud Metaphrastem, in vita ipsius, cum asserit. Patrem produxisse filium, ut viuificaret omnia, reliqua, Spiritum sanctum, ut viuificaret omnia. Euseb. Cesar. in lib. 5. demonstrat. Euang. cap. 5. & lib. 1. histor. cap. 1. quæ omnia & reliqua Patrum testimonia intelligenda puto per appropriationem.

ut superius notavi de ratione ideæ, quæ tribuitur filio. *Basilii autem lib. de Spiritu sancto cap. 8.* alio sensu explicat, quo pacto filius à Patre accipiat potestatem creandi, nempe non quasi servus & subiectus, sed ratione originis, per quam accipit eandem naturam à Patre. Et eo modo loquendi, quo dicitur Pater fecisse omnia per filium, inquit denotari, Patrem esse causam principalem, hoc est, à qua tanquam ab origine & fonte filius habet omnia. Eodem modo intellexit *Athan. serm. 3. contra Arianos circa medium.* Sic etiam interpretari debemus Patres, qui Deo Patri tribuunt iubere, filio autem facere. Sic *Nysen. lib. de Trinit. adversus Iudeos, Hieronym. in illud Amos 6. Quia ecce Dominus mandavit, Cyrill. Hierosol. catech. 6. & catech. 11. circa finem:* eodem etiam spectat *Lactant. lib. 4. divin. institut. 6. 6. in fine,* cum concludit ex philosophis Trismegisto, & Sybillis, Deum Patrem vñm fuisse filio, tanquam consiliario, & manibus, quibus mundum fabricaretur. Hoc eodem sensu plures ex Græcis Patribus dixerunt, Spiritum sanctum procedere à Patre per filium, quia procedit à Patre ut ab habente virtutem spirandi à seipso; à filio autem ut ab habente virtutem spirandi à Patre, sicuti notavimus supra disput. 147. cap. 6. utroque modo explicat *S. Thom. in hoc art. ad 2. id quod dicitur in symbolo Nicæno, patrem esse factorem rerum omnium; per filium autem facta esse omnia.* Hi ergo omnes patres alio sensu longe diverso loquuti sunt, quam Conc. Sirmiense, quod constat fuisse Arianum, quando in canone. 2. damnat negantes, filium obsecutum fuisse patri in creatione.

ARTICVLVS VII.

Utrum in creaturis sit necesse inueniri vestigium Trinitatis.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod in creaturis non sit necesse inueniri vestigium Trinitatis. Per sua enim vestigia vnum quodque inuestigare potest: sed Trinitas personarum non potest inuestigari ex creaturis, ut supra dictum est. Ergo vestigia Trinitatis non sunt in creatura.

2. Præterea. Quicquid in creatura est, creatum est. Si igitur vestigium Trinitatis inuenitur in creatura secundum aliquas proprietates suas, & omne creatum habet vestigium Trinitatis: oportet in vnaquaque illarum inueniri etiam vestigium Trinitatis. Et sic in infinitum.

3. Præterea. Effectus non representat nisi suam causam. Sed causalitas creaturarum pertinet ad naturam communem; non autem ad relationes quibus personæ & distinguuntur & numerantur. Ergo in creatura non inuenitur vestigium Trinitatis, sed solum vnitatis essentialis.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in sexto de Trinitate, quod Trinitatis vestigium in creaturis apparet.

Vaques in 1. p. som. 2.

ARTIC. VII.

385

Respondeo dicendum, quod omnis effectus aliquo modo representat suam causam, sed diuersimode. Nam aliquis effectus representat solam causalitatem causæ, non autem formam eius, sicut fumus representat ignem: & talis representatio dicitur esse representatio vestigij. Vestigium autem demonstrat motum alicuius transeuntis, sed non qualis sit. Aliquis autem effectus representat causam, quantum ad similitudinem formæ eius, sicut ignis generatus, ignem generantem: & statua Mercurij, Mercurium, & hæc est representatio imaginis. Processiones autem diuinarum personarum attenduntur secundum actus intellectus & voluntatis, sicut supra dictum est. Nam Filius procedit ut verbum intellectus: Spiritus sanctus ut amor voluntatis. In creaturis igitur rationalibus in quibus est intellectus & voluntas, inuenitur representatio Trinitatis per modum imaginis in quantum inuenitur in eis verbum conceptum, & amor procedens. Sed in creaturis omnibus inuenitur representatio Trinitatis per modum vestigij, in quantum in qualibet creatura inueniuntur aliqua quæ necesse est reducere in diuinas personas, sicut in causam. Quælibet enim creatura subsistit in suo esse, & habet formam per quam determinatur ad speciem, & habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur quod est quædam substantia creata, representat causam & principium: & sic demonstrat personam Patris, qui est principium non de principio. Secundum autem quod habet quandam formam & speciem, representat verbum secundum quod forma artificiali est ex conceptione artificis. Secundum autem, quod habet ordinem representat Spiritum Sanctum, in quantum est amor: quia ordo effectus ad aliquid alterum est ex voluntate creantis. Et ideo dicit *Aug. in 6. lib. de Trinit. quod vestigium Trinitatis inuenitur in vnaquaque creatura, secundum quod vnum aliquid est, & secundum quod aliqua specie formatur, & secundum quod quendam ordinem tenet.* Et ad hæc etiam reducuntur illa tria, numerus, pondus, & mensura quæ ponuntur Sapient. 11. Nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis: numerus ad speciem, pondus ad ordinem. Et ad hæc tria reducuntur alia tria quæ ponit Augustinus, modus, species, & ordo. Et ea quæ ponit in lib. 83. quæst. quod constat, quod discernitur, quod congruit. Constat enim aliquid

K k

per

Lib. 6. de Trinit. c. ult. tom. 3.

In li. de natura bo. c. 3. 2. 18. in prim. 10. 4.

per suam substantiam, discernitur per formam, congruit per ordinem. Et in idem de facili reduci possunt quæcumque sic dicuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod representatio vestigiij attēditur secundum appropriata: per quem modum ex creaturis in Trinitatem diuinarum personarum venire potest, ut dictum est.

2. 2. 2. art. 1.

Ad secundum dicendum, quod creatura est res proprie subsistens, in qua est prædicta tria inuenire. Neque oportet quod in quolibet eorum, quæ ei insunt, hæc tria inueniantur, sed secundum ea vestigium rei subsistenti attribuitur.

In corp. & art. præced.

Ad tertium dicendum, quod etiam processionem personarum sunt causa & ratio creationis aliquo modo, ut dictum est.

CONCLUSIO est affirmans, quam late explicat sanctus Doctor ex mente Augustini.

ARTICVLVS VIII.

Utrum creatio admisceatur in operibus naturæ, & artis.

2. 2. 2. art. 8.

AD OCTAUM sic proceditur. Videtur, quod creatio admisceatur in operibus naturæ & artis. In quolibet enim operatione naturæ & artis producit aliqua forma. Sed non producit ex aliquo cum non habeat materiam partem sui: ergo producit ex nihilo. Et sic in qualibet operatione naturæ & artis est creatio.

2. Præterea. Effectus non est prior sua causa, sed in rebus naturalibus non inuenitur aliquid agens nisi forma accidentalitatis, quæ est forma actiua vel passiua. Non ergo per operationem naturæ producit forma substantialis. Relinquitur igitur quod sit per creationem.

3. Præterea. Natura facit sibi simile. Sed quædam inueniuntur generata in natura non ab aliquo sibi simili, sicut patet in animalibus generatis per putrefactionem. Ergo eorum forma non est à natura, sed à creatione. Et eadem ratio est de aliis.

4. Præterea. Quod non creatur, non est creatura. Si igitur in his quæ sunt à natura, non adiungatur creatio, sequitur quod ea quæ sunt à natura non sunt creatura. Quod est hæreticum.

Gen. ad lit. cap. 14. 15.

Sed contra est, quod Augustinus super Gen. ad lit. distinguit opus propagationis, quod est opus naturæ, ab opere creationis.

Respondeo dicendum, quod hæc dubitatio inducitur propter formas, quas

ARTIC. VIII.

quidam posuerunt non incipere per actionem naturæ, sed prius in materia existisse, ponentes latitationem formarum. Et hoc accidit eis ex ignorantia materię quia nesciebant distinguere inter potentiam & actum. Quia enim formæ præexistunt in materia in potentia, posuerunt eas simpliciter præexistere. Alij vero posuerunt formas dari vel causari ab agente separato per modum creationis. Et secundum hoc cuilibet operationi naturæ adiungitur creatio. Sed hoc accidit eis ex ignorantia formæ. Non enim considerabant, quod forma naturalis corporis non est subsistens, sed quo aliquid est. Et ideo cum fieri & creati non conueniant proprie nisi rei subsistenti, sicut supra dictum est, formarum non est fieri, neque creati, sed concreata esse. Quod autem proprie fit, ab agente naturali est compositum, quod fit ex materia. Unde in operibus naturæ non admisceatur creatio, sed præsupponitur aliquid ad operationem naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod formæ incipiunt esse in actu compositis factis non quod ipsæ fiant per se, sed per accidens tantum.

Ad secundum dicendum, quod qualitates actiue in natura agunt in virtute formarum substantialium: & ideo agens naturale non solum producit sibi simile secundum qualitatem, sed secundum speciem.

Ad tertium dicendum, quod ad generationem animalium imperfectorum sufficit agens vniuersale, quod est virtus celestis, cui assimilantur non secundum speciem, sed secundum analogiam quandam. Neque oportet dicere, quod eorum formæ creantur ab agente separato. Ad generationem vero animalium perfectorum non sufficit agens vniuersale, sed requiritur agens proprium quod est generans vniuersum.

Ad quartum dicendum, quod operatio naturæ non est nisi ex præsuppositione principiorum creatorum, & sic ea, quæ per naturam fiunt, creatura dicuntur.

CONCLUSIO est, Formæ naturæ, & artis dicuntur per creationem produci, sed conueniunt in operibus naturæ non admisceatur creatio, sed præsupponitur intelligit S. Tho. conclusionem de totius artis præter rationalem, de quibus factis à nobis dictum est, disp. 173. cap. 2. & 3.

Qvæ

QVÆST. XLVI.

QVÆSTIO XLVI.

De principio durationis rerum creaturarum.

Consequenter considerandum est de principio durationis rerum creatarū. Et circa hoc quæruntur tria.

ARTIC. I.

Utrum vniuersitas creaturarū semper fuerit.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod vniuersitas creaturarum, quæ nunc mundi nomine nuncupatur, non incepit, sed fuerit ab æterno. Omne enim, quod incipit esse, antequam fuerit, possibile fuit ipsum esse: alioquin impossibile fuisset ipsum fieri. Si ergo mundus incepit esse, antequam inciperet, possibile fuit ipsum esse. Sed quod possibile est esse, est materia: quæ est in potentia ad esse, quod est per formam; & ad non esse, quod est per priuationem. Si ergo mundus incepit esse, ante mundum fuit materia. Sed non potest esse materia sine forma. Materia autem mundi cum forma, est mundus. Fuit ergo mundus antequam esse inciperet. Quod est impossibile.

2. Præterea. Nihil quod habet virtutem ut sit semper, quandoque est, & quandoque non est: quia ad quantum se extendit virtus alicuius rei, tamdiu est. Sed omne incorruptibile habet virtutem ut sit semper. Non enim virtutem habet ad determinatum durationis tempus. Nihil ergo incorruptibile quandoque est, & quandoque non est. Sed omne quod incipit esse, quandoque est, & quandoque non est. Nullum ergo incorruptibile incipit esse. Sed multa sunt in mundo incorruptibilia, ut corpora cælestia: & omnes substantiæ intellectuales. Ergo mundus non incipit esse.

3. Præterea. Nullum ingenitum incepit esse. Sed Philosophus in 1. Phis. dicit, quod materia est ingenita. Et in 1. de Cælo & Mundo, quod cælum est ingenitum. Non ergo vniuersitas rerum incipit esse.

4. Præterea. Vacuum est ubi non est corpus, sed possibile est esse. Sed si mundus incepit esse ubi nunc est corpus mundi, prius non fuit aliquod corpus, & tamen poterat ibi esse. Alioquin nunc ibi non esset. Ergo ante mundum fuit vacuum. Quod est impossibile.

5. Præterea. Nihil de nouo incipit moueri nisi per hoc, quod mouens & mobile aliter se habet nunc, quam prius.

Vasquez in 1. p. tom. 2.

ARTIC. I.

387

Sed quod aliter se habet nunc quam prius mouetur. Ergo ante omnem motum de nouo incipientem fuit aliquis motus. Motus ergo semper fuit. Ergo & mobile: quia motus non est nisi in mobili.

6. Præterea. Omne mouens aut est naturale, aut est voluntarium, sed neutrum incipit mouere, nisi aliquo modo præexistente. Natura enim semper eodem modo operatur. Vnde nisi præcedat aliqua immutatio vel in natura mouentis vel in mobili, non incipiet à mouente naturali esse motus qui non fuit prius. Voluntas autem absque sui immutatione retardat facere quod proponit. Sed hic non est nisi per aliquam immutationem, quam imaginatur ad minus ex parte ipsius temporis. Sicut qui vult facere domum cras, & non hodie expectat aliquid futurum cras, quod hodie non est; & ad minus expectat, quod dies hodiernus transeat, & crastinus adueniat, quod sine mutatione non est, quia tempus est numerus motus. Relinquitur ergo quod ante omnem motum de nouo incipientem fuit alius motus. Et sic idem quod prius.

7. Præterea. Quicquid est semper in principio, & semper in fine, nec desinere, nec incipere potest. Quia quod incipit, non est in suo fine: quod autem desinit, non est in suo principio. Sed tempus semper est in suo principio & fine: quia nihil est temporis nisi nunc, quod est finis præteriti, & principium futuri. Ergo tempus nec incipere nec desinere potest. Et per consequens nec motus cuius numerus tempus est.

8. Præterea. Deus aut est prior mundo natura tantum, aut duratione. Si natura tantum, ergo cum Deus sit ab æterno, & mundus est ab æterno. Si autem est prior duratione, prius autem & posterius in duratione constituunt tempus. Ergo ante mundum fuit tempus. Quod est impossibile.

9. Præterea. Posita causa sufficienti ponitur effectus. Causa enim ad quam non sequitur effectus, est causa imperfecta indigens alio ad hoc quod effectus sequatur. Sed Deus est sufficiens causa mundi, & finalis ratione suæ bonitatis, & exemplaris ratione suæ sapientiæ, & effectiua ratione suæ potentie, ut ex superioribus patet. Cum ergo Deus sit ab æterno, & mundus fuit ab æterno.

10. Præterea. Cuius actio est æterna, & effectus est æternus. Sed actio Dei est eius substantia, quæ est æterna. Ergo & mundus est æternus.

K k 2

Sed

Sed contra est, quod dicitur Ioannis 17. Clarifica me pater apud te ipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret. Et Prou. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio.

Respondeo dicendum, quod nihil potest præter Deum ab æterno fuisse. Et hoc quidē ponere non est impossibile. Ostensum est enim supra, quod voluntas Dei est causa rerum. Sic ergo aliqua necesse est esse, sicut necesse est Deum velle illas; cum necessitas effectus ex necessitate causæ dependeat, ut dicitur in 5. Metaph. Ostensum est autem supra, quod absolute loquendo non est necesse Deum velle aliquid nisi seipsum. Non est ergo necessarium Deum velle quod mundus fuerit semper, sed eatenus mundus est, quatenus Deus vult illum esse, cum esse mundi ex voluntate Dei dependeat, sicut ex sua causa. Non est igitur necessarium mundum semper esse. Vnde nec demonstratiue probari potest. Nec rationes quas ad hoc Aristotel. inducit, sunt demonstratiue simpliciter, sed secundum

Lib. 5. text. 6. circa fin. implicite som. 3. q. 19. art. 3.

Lib. 8. Phys. 2. princ. 1. per multos textus som. 2.

Lib. 1. de celo sex. 102. & seq. & 8. Physic. 2. princ. per multos textus.

Lib. 1. topic. 2. 9. pa. 2. à princ. 10. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod antequam mundus esset, possibile fuit mundum esse, non quidem secundum potentiam passiuam, quæ est materia: sed secundum potentiam actiuam Dei. Et etiam secundum quod dicitur aliquid absolute possibile non secundum aliquam potentiam, sed ex sola habitudine terminorum, qui sibi non repugnant, secundum quod possibile opponitur impossibile, ut patet per Philosophum in 5. Metaph.

Lib. 1. text. 27. som. 1.

Ad secundum dicendum, quod illud quod habet virtutem ut sit semper, ex quo habet illam virtutem, non quandoque est, & quandoque non est: sed antequam haberet illam virtutem non fuit. Vnde hæc ratio quæ ponitur ad Arist. in

1. de Cælo, non concludit simpliciter, quod incorruptibilia non inceperunt esse, sed quod non inceperunt esse per modum naturalem, quo generabilia & corruptibilia incipiunt esse.

Ad tertium dicendum, quod Arist. in 1. Physic. probat materiam esse ingentem per hoc, quod non habet subiectum de quo sit: in primo autem de Cælo & Mundo probat cælum ingentem quia non habet contrarium ex quo generetur. Vnde patet, quod per vtrumque non concluditur nisi quod materia & cælum non inceperunt per generationem, ut quidam ponebant: præcipue de cælo. Nos autem dicimus, quod materia & cælum producta sint in esse per creationem, ut ex dictis patet.

Ad quartum dicendum, quod ad rationem vacui non sufficit, in quo nihil est, sed requiritur quod sit spatium capax corporis, in quo non sit corpus, ut patet per Aristot. in 4. Physic. Nos autem dicimus non fuisse locum aut spatium antemundum.

Ad quintum dicendum, quod primus motor semper eodem modo se habuit: primum autem mobile non semper eodem modo se habuit: quia incepit esse cum prius non fuisset. Sed hoc non fuit per mutationem, sed per creationem, quæ non est mutatio, ut supra dictum est. Vnde patet quod hæc ratio, quam ponit Arist. in 8. Physic. procedit contra eos qui ponebant mobilia æterna, sed motum non æternum, ut patet ex opinionibus Anaxag. & Emped. Nos autem ponimus, ex quo mobilia inceperunt semper hunc motum.

Ad sextum dicendum, quod primum agens est agens voluntarium. Et quantum habuit voluntatem æternam producendi aliquem effectum, non tamen produxit æternum effectum. Nec est necesse quod præsupponatur aliqua mutatio, nec etiam propter imaginationem temporis. Aliter enim est intelligendum de agente particulari, quod præsupponit aliquid & causat alterum, & aliter de agente vniuersali quod producit totum, sicut agens particulare producit partem, & præsupponit materiam: vnde oportet quod formam inducat secundum proportionem ad debitam materiam. Vnde rationabiliter in ipso consideratur quod inducit formam in talem materiam, & non in aliam ex differentia materiæ ad materiam, Sed hoc non rationabiliter videtur in Deo, qui simul producit formam & materiam, sed considerat

sideratur rationabiliter in eo quod ipse producit materiam congruam formæ & fini. Agens autem particulare præsupponit tempus sicut & materiam. Vnde rationabiliter consideratur in eo quod agit in tempore posteriori, & non priori secundum imaginationem successionis temporis post tempus. Sed in agenti vniuersali, quod producit rem & tempus non est considerare quod agat nunc & non prius secundum imaginationem temporis post tempus, quasi tempus præsupponatur eius actioni, sed considerandum est quod dedit effectui suo tempus quantum voluit, & secundum quod conueniens fuit ad suam potentiam demonstrandam. Manifestius enim mundus ducit in cognitionem diuinæ potentie creatis, si mundus non semper fuit quam si semper fuisset. Omne enim quod non semper fuit, manifestum est habere causam. Sed non ita manifestum est de eo quod semper fuit.

Ad septimum dicendum, quod sicut dicitur in 4. Physic. prius & posterius, est in tempore secundum quod prius & posterius est in motu. Vnde principium & finis accipiendæ sunt in tempore sicut & in motu. Supposita autem æternitate motus necesse est quod quodlibet momentum in motu acceptum, sit principium & terminus motus. Quod non oportet si motus incipiat. Et eadem ratio est de nunc temporis. Et sic patet quod ratio illa instantis nunc quod semper sit principium & finis temporis, præsupponit æternitatem temporis & motus. Vnde Aristotel. hanc rationem inducit in Physic. contra eos qui ponebant æternitatem temporis, sed negabant æternitatem motus.

Ad octauum dicendum, quod Deus est prior mundo duratione. Sed ly prius non designat prioritatem temporis, sed æternitatis. Vel dicendum quod designat æternitatem temporis imaginari, & non realiter existentis: sicut cum dicitur, supra cælum nihil est, ly, supra, designat locum imaginatum tantum, secundum quod possibile est imaginari, dimensionibus cælestis corporis dimensiones alias superaddi.

Ad nonum dicendum, quod sicut effectus sequitur à causa agente naturaliter secundum motum suæ formæ, ita sequitur ab agente per voluntatem secundum formam ab eo præconceptam & definitam, vt ex superioribus patet. Licet igitur Deus ab æterno fuerit sufficiens causa mundi, non tamen oportet

Vasques in 1. p. 10m. 2.

quod ponatur mundus ab eo productus, nisi secundum quod est in prædestinatione suæ voluntatis, vt scilicet habeat esse post non esse, vt manifestius declararet suum auctorem.

Ad decimum dicendum, quod posita actione sequitur effectus secundum exigentiam formæ quæ est principium actionis. In agentibus autem per voluntatem quod conceptum est prædefinitum accipitur vt forma, quæ est principium actionis. Ex actione igitur Dei æterna non sequitur effectus æternus, sed qualem Deus voluit, vt scilicet habere esse post non esse.

CONCLUSIO est, Nihil præter Deum ab æterno fuit.

ARTIC. II.

Vtrum mundum incepisse sit articulus fidei.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod mundum incepisse non sit articulus fidei, sed conclusio demonstrabilis. Omne enim factum habet principium suæ durationis. Sed demonstratiue probari potest, quod Deus sit causa effectiua mundi: & hoc etiam probabiliore philosophi posuerunt. Ergo demonstratiue probari potest quod mundus incepit.

2. Præterea. Si necesse est dicere, quod mundus factus est à Deo: aut ergo ex nihilo, aut ex aliquo. Sed non ex aliquo: quia sic materia mundi præcessisset mundum: contra quod procedunt rationes Aristotel. ponentis cælum ingentum. Ergo oportet dicere quod mundus sit factus ex nihilo. Et sic habere esse post non esse. Ergo oportet quod esse incepit.

3. Præterea. Omne quod operatur per intellectum, à quodam principio operatur, vt patet in omnibus artificialibus. Sed Deus est agens per intellectum. Ergo à quodam principio operatur. Mundus igitur qui est eius effectus non fuit semper.

4. Præterea. Manifeste apparet, artes aliquas & habitationes regionum, ex determinatis temporibus incepisse. Sed hoc non esset, si mundus semper fuisset. Mundus igitur non semper fuisse manifestum est.

5. Præterea. Certum est nihil Deo æquari posse. Sed si mundus semper fuisset, æquipararetur Deo in duratione. Ergo certum est non semper mundum fuisse.

Kk 3 6. Præ-

6. Præterea. Si mundus semper fuit, infiniti dies præcesserunt diem istum. Sed infinita non est pertransire. Ergo nunquam fuisset peruentum ad hunc diem. Quod est manifeste falsum.

7. Præterea. Si mundus fuit æternus, & generatio fuit ab æterno. Ergo vnus homo genitus est ab alio in infinitum. Sed pater est causa efficiens filij, vt dicitur in 2. Physic. Ergo in causis efficientibus est procedere in infinitum. Quod improbatur in 2. Metaph.

*Fig. Phys.
text. 29.
2. cor. 2. text.
5. tom. 2.*

8. Præterea. Si mundus & generatio semper fuit infiniti homines præcesserunt. Sed anima hominis est immortalis. Ergo infinitæ animæ humanæ nunc essent actû. Quod est impossibile. Ergo ex necessitate sciri potest, quod mundus inceperit, & non sola fide teneatur.

Sed contra. Fidei articuli demonstratiue probari non possunt: quia fides de non apparentibus est, vt dicitur ad Hebræos 11. Sed Deum esse creatorem mundi, sic quod mundus inceperit esse est articulus fidei. Dicimus enim, Credo in vnum Deum, &c. Et iterum Gregor. dicit in homil. 1. Ezech. quod Moyles prophetizauit, de præterito dicens, In principio creauit Deus cælum & terram. In quo nouitas mundi traditur. Ergo nouitas mundi habetur tantum per reuelationem. Et ideo non potest probari demonstratiue.

*Homil. 1. in
Ezech.*

Respondeo dicendum, quod mundum non semper fuisse, sola fide teneatur, & demonstratiue probari non potest: sicut & supra de mysterio Trinitatis dictum est. Et huius ratio est: quia nouitas mundi non potest demonstrationem recipere ex parte ipsius mundi. Demonstrationis enim principium est quod quid est. Vnumquodque autem secundum rationem suæ speciei abstrahit ab hic & nunc: propter quod dicitur quod vniuersalia sunt vbique & semper. Vnde demonstrari non potest quod homo aut cælum, aut lapis, non semper fuit. Similiter etiam neque ex parte causæ agentis, quæ agit per voluntatem. Voluntas enim Dei ratione inuestigari non potest, nisi circa ea quæ absolute necesse est Deum velle. Talia autem non sunt quæ circa creaturas vult, vt dictum est.

2. 17. art. 2.

Potest autem voluntas diuina homini manifestari per reuelationem, cui fides innitur. Vnde mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile vel scibile. Et hoc vtile est vt consideretur, ne forte aliquis quod fidei est demonstrare præsumens, rationes non necessa-

rias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere quæ fidei sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod sicur dicit Augustin. u. de Ciuitate Dei, Philosophorum ponentium æternitatem mundi duplex fuit opinio. Quidam enim posuerunt, quod substantia mundi non sit à Deo. Et horum est intolerabilis error. Et ideo ex necessitate refellitur. Quidam autem sic posuerunt mundum æternum, quod tamen mundum à Deo factum dixerunt. Non enim mundum temporis volunthabere, sed suæ creationis initium, vt quodam modo vix intelligibili semper sit factus. Id autem quomodo intelligant, inuenerunt, vt idem dicit in u. de Ciuitate Dei. Sicut enim, inquit, si pes ex æternitate semper fuisset in puluere, semper subesset vestigium, quod à calcante factum nemo dubitaret: sic & mundus semper fuit, semper existente qui fecit. Et ad hoc intelligendum considerandum est, quod causa efficiens quæ agit per motum, de necessitate præcedit tempore suum effectum, quia effectus non est nisi in termino actionis: agens autem omne oportet esse principium actionis. Sed si actio sit instantanea & non successiua, non est necessarium, faciens esse prius facto duratione, sicut patet in illuminatione. Vnde dicunt quod non sequitur ex necessitate, si Deus est causa actiua mundi, quod sit prior mundo duratione, quia creatio quæ mundum produxit, non est mutatio successiua, vt supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod illi qui ponerent mundum æternum, dicerent mundum factum à Deo ex nihilo: non quod factus sit post nihilum secundum quod nos intelligimus per nomen creationis, sed quia non est factus de aliquo. Et sic etiam non reculant aliqui eorum creationis nomen, vt patet ex Aug. in sua Metaph.

Ad tertium dicendum, quod illa est ratio Anaxa. quæ ponitur in 3. Physic. Sed non de necessitate concludit, nisi de intellectu, qui deliberando, inuestigat quid agendum sit, quod est simile morali. Talis autem est intellectus humanus, sed non diuinus, vt supra patet.

Ad quartum dicendum, quod ponentes æternitatem mundi, ponunt aliquam regionem infinites esse mutaram de inhabitabili in habitabilem, & conuerso. Et similiter ponunt, quod res propter diuersas corruptiones & accidentia

cidentia infinitis fuerunt inuēta, & iterum corrupta. Vnde Aristotel. dicit in libr. Meteo. quod ridiculum est ex huiusmodi particularibus mutationibus opinionem accipere de nouitate mundi totius.

Ad quintum dicendum, quod & si mundus semper fuisset non tamen parificaretur Deo in aternitate, ut dicit Boethius in fine de consol. quia esse diuinum est esse totum simul absque successione. Non autem sic est de mundo.

Ad sextum dicendum, quod transitus semper intelligitur a termino in terminum. Quæcunque autem præterita dies signetur ab illa usque ad istam sunt finiti dies, qui pertransiri poterunt. Obiectio autem procedit ac si positus extremis sint media infinita.

Ad septimum dicendum, quod in causis efficientibus impossibile est procedere in infinitum per se, ut puta si causa quæ per se requiruntur ad aliquem effectum, multiplicarentur in infinitum. Sicut si lapis moueretur ab baculo, & baculus a manu, & hoc in infinitum. Sed per accidens in infinitum procedere in causis agentibus non reputatur impossibile. Ut puta si omnes causæ quæ in infinitum multiplicantur, non teneant ordinem nisi vnius causæ, sed earum multiplicatio sit per accidens. Sicut artifex agit multis martellis per accidens: quia vnus post vnum frangitur. Accidit ergo huic martello quod agit post actionem alterius martelli. Et similiter accidit huic homini in quantum generat, quod sit generatus ab alio. Generat enim in quantum homo, & non in quantum est filius alterius hominis. Omnes enim homines generantes habent gradum vnum in causis efficientibus, scilicet gradum particularis generantis. Vnde non est impossibile quod homo generetur ab homine in infinitum. Esset autem impossibile, si generatio huius hominis deperderet ab hoc homine, & a corpore elementari, & a sole: & sic in infinitum.

Ad octauum dicendum, quod hanc rationem, ponentes aternitatem mundi, multipliciter effugunt. Quidam enim non reputant impossibile esse infinitas animas actu, ut patet in Metaphys. Al-gazelis, dicentis hoc esse infinitum per accidens. Sed hoc improbatum est superius. Quidam vero dicunt animam corrumpi cum corpore. Quidam vero, quod ex omnibus animabus remanet vna tantum. Alij vero, ut Aug. dicit, posuerunt propter hoc circuitum animarum ut sci-

licet animæ separata a corporibus post determinata temporum curricula iterum redirent ad corpora. De quibus omnibus in sequentibus est agendum. Considerandum tamen, quod hæc ratio particularis est. Vnde posset dicere aliquis quod mundus fuit æternus, vel saltem aliqua creatura, ut angelus: non autem homo. Nos autem intendimus vniuersaliter an aliqua creatura fuerit ab æterno.

CONCLUSIO est, Mundum in tempore coepisse sola fide diuina constare.

ARTICVLVS III.

Vtrum creatio rerum fuerit in principio temporis.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod creatio rerum non fuit in principio temporis. Quod enim non est in tempore, non est in aliquo temporis. Sed creatio rerum non fuit in tempore. Per creationem enim rerum substantia in esse producta est. Tempus autem non mensurat substantiam rerum, & præcipue incorporaliū. Ergo creatio non fuit in principio temporis.

2. Præterea. Philosophus probat quod omne quod fit, sicbat. Et sic omne fieri habet prius & posterius. In principio autem temporis, cum sit diuisibile non est prius & posterius. Ergo cum creati sit quoddam fieri, videtur quod res non sint creatæ in principio temporis.

3. Præterea. Ipsum etiam tempus creatum est. Sed tempus non potest creati in principio temporis: cum tempus sit diuisibile, principium autem temporis indiuisibile. Non ergo creatio rerum fuit in principio temporis.

Sed contra est, quod Genesis 1. dicitur: In principio creauit Deus cælum & terram.

Respondeo dicendum, quod illud verbum Genesis 1. In principio creauit Deus cælum & terram, tripliciter exponitur ad excludendum tres errores. Quidam enim posuerunt, mundum semper fuisse, & tempus non habere principium. Et ad hoc excludendum exponitur: In principio, scilicet temporis. Quidam vero posuerunt duo esse creationis principia, vnum bonorum, aliud malorum. Et ad hoc excludendum exponitur, in principio, id est, in filio. Sicut enim principium effectiuium appropriatur patri propter potentiam, ita principium exemplare appropriatur filio propter sapientiam: ut sicut dicitur, omnia in sapientia fecisti, ita intelligatur Deum omnia fecisse in principio, id est,

id est, in filio, secundum illud Apostoli ad Colos. 1. In ipso, scilicet filio condita sunt vniuersa. Alij vero dixerunt corporalia esse creata à Deo mediantibus creaturis spiritualibus. Et ad hoc excludendum exponitur In principio creauit Deus cœlum & terram, id est, ante omnia. Quatuor enim ponuntur simul creata, scilicet cœlum Empireum, materia corporalis, quæ nomine terræ intelligitur, tempus, & natura angelica.

Ad primum ergo dicendum, quod non dicuntur in principio temporis res esse creatæ, quasi principium tēporis creationis sit mēsurā: sed quia simul cum tempore cœlum & terra creata sunt.

Ad secundum dicendum, quod verbum illud Philosophi intelligitur de fieri, quod est per motum, vel quod est terminus motus. Quia cum in quolibet motu sic accipere prius & posterius, ante quodcumque signum in motu signato, dum scilicet aliquid est in moueri, & fieri, est accipere prius, & etiam aliquid post ipsum. Quia quod est in principio motus vel in termino, non est in moueri. Creatio autem neque est motus neque terminus motus, vt supra dictum est. Vnde sic aliquid creatur quod non prius creabatur.

Ad tertium dicendum, quod nihil fit nisi secundum quod est. Nihil autem est temporis nisi nunc. Vnde non potest fieri nisi secundum aliquod nunc. Non quia in ipso primo nunc sit tempus, sed quia ab eo incipit tempus.

CONCLUSIO est affirmans, quam probat S. Thom. ex illo Genes. 1. In principio creauit Deus, &c. Horum autem omnium articulorum doctrina sequenti disputatione altius examinanda est.

DISPVT. CLXXVII.

An mundus potuerit esse ab æterno.

Mundum incepisse initio temporis, fides Catholica docet. cap. 1.

Nullam creaturam etiam permanentem, & incorruptibilem potuisse ab æterno incipere, senserunt Albertus, & alij. cap. 2.

Creaturam permanentem, etiam corruptibilem, sed absque corruptione potuisse esse ab æterno, probabilior opinio fert. cap. 3.

De æternitate motus & generationum an sit possibilis, varie Scholastici docuerunt. cap. 4.

Hoc vniuersum præter generationes substantiarum, & accidentium, quod attinet ad reliqua omnia, potuisse esse ab æterno, probabilior opinio est. cap. 5.

ARTIC. III.

CAPVT I.

Mundum incepisse initio temporis, fides Catholica docet.

DE huius vniuersitatis rerum initio, & duratione non eodem modo antiqui Philosophi senserunt nam multi, vt refert Arist. lib. 8. Phys. cap. 1. & lib. 1. de celo cap. 10. & lib. 12. Metaph. cap. 8. quos ipse sequitur, dixerunt, mundum ab æterno eodem modo fuisse: se: multo plures, aliqui vero incepisse, existimant, vt ipse Arist. testatur 1. de celo textu 102. Ex hæreticis autem nullus hætenus docuit, mundum initio durationis caruisse: tamen nonnulli materiam coeternam Deo posuerunt, quos quæst. 44. art. 2. commutauimus.

Ceterum fides Catholica est, initio temporis seu durationis, Deum omnia creasse, sicut colligitur ex illo, In principio creauit Deus cœlum & terram, & ubi particula, In principio, initium temporis significat, vt notauimus disp. 109. c. 2. sic eam intelligunt patres, quos ibi recensimus. Eadem veritas declaratur Proverb. 8. Dominus possedit me initium rerum suarum, antequam quidquam faceret & Ioan. 1. Clarifica me pater apud tenerisum claritate, quam habui priusquam mundus fieret. & ad Ephes. 1. Elegit nos ab ipso ante mundi constitutionem. Eademque oculi in capite firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica.

Confirmari vero potest hoc modo. Confirmationes omnes, quæ videntur probare, mundum deum fuisse ab æterno, friuolæ sunt, vt recte demonstrauit noster Bened. Perer. lib. 15. de principijs rerum naturalium: & ex alia parte fere omnes mundi rationes credant, mundum initium durationis inuuisse, etiam secundum rectam Philosophiam hoc nobis certum esse debet.

CAPVT II.

Nullam creaturam, etiam permanentem, & incorruptibilem potuisse ab æterno incipere, senserunt Albertus, & alij.

Eterum inter Scholasticos, & Christianos Philosophos controuersum est an sufficiens ratio probetur, non potuisse mundum esse ab æterno; aut sola fide, & reuelatione nobis coherere, æternum non fuisse. In qua controuersia prima sententia est Alberti 2. p. summa, tractat. 1. q. 4. mundi, sub finem in 2. quæst. incidente, & in 2. d. 1. a. 10. Hætenus quodlibet. 1. q. 7. & 8. Masilius in 2. q. 1. 4. 2. in 4. p. illius, & Clibonius in cap. 8. libri primi de fide Damascenus qui affirmant, nullam prolium creaturam potuisse produci ab æterno. In hac quoque sententia est Bonauentura in 2. distinct. 1. parte 1. artic. 1. quæst. 1. & 2. ferit enim simpliciter, impossibile esse mundum fuisse ab æterno, si ille producendus erat ex nihilo, vt reuera produci debebat: at si materia præintelligeretur coeterna Deo, concedit Bonauentura potuisse in ea Deum inducere formas ab æterno: intelligit autem materiam increatam, vt ponebatur à quibusdam hæreticis memoratis supra quæst. 44. art. 2. & ex eius ratione colligitur: alioquin superuacanea esset eius distinctio: cum ergo fides doceat, nullam materiam esse posse increatam, & ita senserit Bona. manifeste sequitur illum docuisse, mundum non potuisse simpliciter esse ab æterno.

Prædicta vero sententia probatur primo ratione.